56

NOVA EAQVE PLENA ASSERTIO JVRIS,

QVOD

S. CAESAREAE MAJ.

AC S. IMPERIO IN MAGNVM TVSCIAE COMPETIT DVCATVM,

Sive

CONFVTATIO SCRIPTI, NVPER PISIS EX AULAE FLORENTINAE JVSSV EDITI,

De

LIBERTATE CIVITATIS FLORENTIAE EJVSQVE DOMINII.

MDCCXXV.

Persuasum quidem sibimet habuere S. Caesarea Majestas ac reliqui Potentissimi Foederati, inter alias *Foederis Quadruplicati* leges, itidem pro conservanda Italiae tranquillitate publica, ac negotio successionis Florentinae maturius componendo, pacti, atque confidenter sperarunt, fore, ut, dominio directo S. Romani Imperii in Hetruriam huc usque tot scriptis, ac documentis, publice editis, demonstrato, ac vindicato, Magnus Dux, Populusque Florentinus, a sententia, de suprematu quodam ac perfecta, quam vocant, Libertate concepta discederet, atque constitutioni, summa aequitate innixae, lubenter adstipularetur. At, quum jam appareat nihilominus causam suprematus adhuc pertinaciter defendi, ideoque iterum *Deductionem* aliquam *de Libertate Civitatis Florentiae, Ejusque Dominii* inscriptam ac publica auctoritate concinnatam, prodiisse non solum id cuncti inque primis ii, quibus tuendi jura Imperii cura demandata est, summopere mirantur, sed quoque publicae rei refert, novam assertionem nova Confutatione convelli, justitiam intentionis Caesareae defendi, rem clarissimae veritatis sustineri amplius et explicari, ac ulteriori cuilibet objectioni viam praescindi.

Si vero argumenta, rerumque Documenta, ex *Archivo Pa[illegible] et Secreto* depromta, quae in *Deductione*, Libertatis Florentinae vindice exhibentur, exactius disquirantur, omnino liquet, plura fuisse adducta, quae jam pridem in priori Commentario, idiomate Gallico expresso, commemorata. Immo, quamvis aliqua sint inserta, quae ad recentiorum classem referri possint, atque Libertatem Tusciae insigniter forsan arguere videantur, tamen solide jam et accurate demonstrabitur, rem, semel vitiosam ac prorsus vulneratam, quicquid medii, anxie conquisiti, adhibeatur, frustra restaurari, ac commento omni larvam sat idonee detrahi, etiamsi fuco, sagaciter invento, sit oblinitum.

Refellitur argumentum ab antiquissima possessione libertatis depromtum.

Inprimis vero *p. IV.* postquam de ignorata veritate querelae inanes praemissae, *antiquissima possessio libertatis* praedicatur quod quidem fundamentum adeo firmum ac stabile sit, ut nullis machinamentis, nulla arte convelli possit, ac labefactari. At commonendum est, non sufficere ad probandam libertatem atque exemtionem, ut possessio plurium seculorum solummodo allegetur. Potius possessio eaque legitime acquisita, ac probe continuata, argumentis idoneis et evidentibus est probanda, praesertim tum, quum praesumtio adversus libertatem et exemtionem fortissima adsit, qualem quidem pro dominio Imperii supremo et directo in regiones optimas Italiae, a populo Teutonico quondam subactas, ac illustribus Gentibus Proceribusque in beneficium concessas, pugnare semper, quis audeat diffiteri? Igitur [illegible] eo jam est disceptandum, utrum antiquissima juris omnimodae et absolutae libertatis, ejusque exercitii, possessio, quam adeo jactant, fuerit perfecte demonstrata, et annon potius Augustissimi Imperatores Romano-Germanici in diuturna et perpetua Potestatis supremae possessione a tot seculorum memoria, usque ad haec tempora, fuerint constituti.

Expenduntur facta Caroli Magni.

Quum vero *cit. p. IV.* amplius commemoretur, ante Carolum M. Imperatorem, quae fuerit rerum facies in Etruria, quis Florentinae Civitatis status, quae forma Reipublicae, nil explorati habere posse, omniaque, quae in vetustius aevum incidant, facta, tenebris obducta, delitescere adeo, et incerta, confusaque esse, ut ne quidem de Florentina eversione manifesto liqueat; equidem facile id conceditur, propterea quod

nihil

nihil in hac illustri controversia intersit, utrum Carolus M. urbem dirutam refecerit; Neque hinc nimis causam Imperii instituere opus esse videtur, quod Carolus M. victo Desiderio, Longobardorum Rege, Florentiam adierit, natalem Domini diem solemni ritu ibidem celebrarit, equites sua manu crearit, et aliis honoribus et privilegiis cives ornarit. Sed exinde magis origo juris Imperialis in ditionem Etruscam genuina est arcessenda, quod eadem una cum universo Longobardorum Regno jure belli ac victoriae Carolo M. ac genti Franco-Teutonum accesserit. Etenim, Regnum illud Tusciam omnino ambitu suo, late per Italiae oras extenso, continuisse, patet ex variis Regum Longobardorum Diplomatibus, praesertimque Documento apud VGHELLVM, *T. III. Ital. Sacr. p. 668. seq. edit. Roman. de a. 1644. fol.* quocum consentit BARONIVS, *Annal. Eccles. ann. DXCI. n. 41.* Quapropter BORGHINIVS gravissimi erroris est coarguendus, quum in *Dissert. Se Firenze fu disfatta. P. II. Oper.* Etruriam a Longobardorum Principatu discernit, ac immunitatem a potestate fortissimi populi, qui non nisi a Germanis vinci poterat, incaute effingit. Atque Florentinos ipsos effectum victoriae Carolinae satis intellexisse, et Imperatoris supremum imperium agnovisse, non solum comprobat impositio certi census, in locum ordinarii tributi, quod singulari gratia remissum fuerat, suffecti, teste RICORDANO MALESPINI, *nell' Historia antica Fiorentina Cap. XLV. p. 31.* Sed perspicue etiam id evincit, quod Caroli, et Pipini, filii, regiminis annos in Documentis publicis numerarint, more subditis consueto; testante Charta apud VGHELLVM, *alleg. loc. p. 29. 30.* ibi; *Regnante* DOMINO NOSTRO *Carolo et Pipino ejus filio*, etc. *Actum* FLORENTIAE. etc.

Status Florentinae post Carolum M. Causam vero Libertatis Florentinae nequicquam adjuvat, quod jam pridem penes duos Consules ac Senatum rerum summa, ac Reipublicae collocata fuerit administratio. Nam haec formula, instar privilegii peculiaris, cunctis Longobardiae ac Tusciae exstitit civitatibus communis, atque assignata, ut a magistratibus, a populo pro arbitrio delectis, gubernarentur, immediata constitutione, ad Regiam potestatem spectante, veluti abdicata. Igitur tantum non hac concessione jus Regium fuit oppressum, ut potius ad praestationem juramenti obedientiae et fidelitatis, quod recensente SIGONIO *de Regn. Ital. L. VII. post ann. 9 3. f. 176.* civitates fuerint adstrictae. Immo illae revera iisdem ferme conditionibus Imperio Romano paruere, quibus civitates in Germaniae immediatae pridem sunt obnoxiae. Etenim non solum aequalitas vinculi aliqua inde colligitur, quod propriorum statutorum et magistratuum usus fuerit permissus, sed itidem ex Vicariorum sive *Praefectorum* Imperialium creatione atque officio congrue aestimatur. Plane disquisitio exacta de Vicariis Imperialibus, in Civitatibus Italiae passim constitutis, egregie ... illustrat et confirmat, atque ex Diplomatum authenticorum et Annalium fide dignissimorum, antiquo cumulo facili et distincta ratione, eruitur: quicquid *p. V.* existimetur, nihil attinere, accuratius examinare, quodnam fuerit subsequentibus temporibus, post Carolum M. tum Marchionum ac Ducum, qui nonnulla Etruriae loca occupaverant, tum Vicariorum Imperialium, et Pontificiorum imperium, dominatus, jurisdictio. Nequicquam enim, ut afferunt, omnia extant dubia, hac in quaestione, aut confusa, et scriptorum dissensione perturbata, quin potius distincte ac perspicue veritas totius rei delineari ac exponi queat. Quae quidem demonstratio lubenter suscipitur, utpote instituto apprime conveniens, atque eo collimeans, ut perspiciatur, nunquam ostendi posse, eos, qui Vicariorum originem, gesta, dominationem, potestatem descripsere, variis erroribus implicatos saepe fluctuasse, et dubia et incerta pro certis, et obscura atque ignota pro notis affirmasse, vel negotium diligenti antiquitatis investigatione minus posse extricari.

Marchiones Tusciae. Certe, quod Marchiones Tusciae attinet, eorum omnino perspicue mentionem injicit celebris rerum Florentinarum Scriptor, *Scipio* AMMIRATUS *Lib. I. Hist. Florent. p. 53.* et *Part. II. L. XX V. p. 549.* Inter quas quidem post Carolingorum aevum, et inclytos quoque Tusciae Praefectos, Adelbertum, Guidonem, Lambertum, alios, LVITPRANDO, *L. I. Histor. C. 10. 11. 12. p. 99. - 101. L. II. C. 10. 15. p. 109. 112. L. III. C. 12. 13. p. 125 seq.* memoratos; eminuere praesertim (1.) Hugo, quem *Tuscum* vocat Otto III. Imperator, in *Epist. ad Gerbert. N. CLVII. p. 690. T. XVII. Bibliothec. max. patr.* atque territorium et Comitatum Florentinum utique possedisse, ipsum Diploma ejusdem, apud VGHELLVM *T. III. p. 52.* ostendit non solum, sed ingenue itidem Vicarium Imperialem profitetur RICORDANVS MALESPINI, *Cap. LII. p. 37.*

(2.) Boni-

(2.) Bonifacius, qui *fidelissimus Marchio* Imperatori, Conrado II. in Charta apud VGHELLVM *T. III. p. 80.* nuncupatur, recentente MVRATORIO, in Appendice, libri, qui inscribitur, *les Droits de l'Empire sur l'Etat Ecclesiastique p. 479. s.* (3.) Conradus, quem narrat Tabula, ab eodem MVRATORIO prolata, *p. 211.* ibi, " Conra- " dus divina gratia Ravennatum Dux et Tusciae Praeses et Marchio.„ (4.) Vlricus, de quo *Otto Frisingensis L. VII. Chron. C. 29. p. 155.* " sic perhibet. Florentini una " cum Marchione terrae Vlrico, Ad. Scipio AMMIRAT. *cit. loc.* Hi autem Marchiones non solum quibusdam Etruriae locis, praeter Florentiam, praefuere, insigni auctoritate communiti, sed quoque ipsi eidem civitati, ubi primaria illorum sedes erat constituta, quemadmodum ex Scriptoribus Florentinis probatissimis, inque primis AMMIRATO, paulo ante allegato, illico colligitur, utpote qui *p. 34.* Marchionatum Florentiam fuisse complexum, diserte ait. Deinde expeditum pariter est, Marchionis nomen, secundum Juris Feudalis Longobardici, et Constitutionum, a Caesaribus, ac Regibus Italiae, conditarum, regulas, siquidem proprio sensu et naturali significatione accipiatur, eodem habitu feudali fuisse inclutum, quo Ducum, vel Comitum, utpote quibus cunctis dignitates, officia, beneficia et terrae titulo clientelari et sub variis conditionibus, dari consueverant, potestate Imperiali et Regia usque quaque integra permanente, ac in Concessionum Tabulis graviter semper reservata atque corroborata. Quod quidem praesertim LEIBNITIVS, rerum Italicarum quoque peritissimus, et H. de COCCEJI, *in Vol. II. Exercit. Curios. Disput. 48. p. 970.* JCtus praestantissimus, docuerunt.

Mathildis gubernatio in Etruria, integro Imperii jure exercita.

Mirandum vero maximopere est, Mathildem, Comitissam, potestatem in Florentiae civitatem exercuisse, *p. VI.* negari. Plane tantum de auctoritate hujus Comitissae, Bonifacii, Spoleti Ducis, et Tusciae Marchionis, filiae, in Etruriae oris semet ipsidem exterente, memoriae fuit proditum, quantum ad jura Imperii, hinc infimul declaranda, sufficere possit. Neque enim tantummodo quam plurima privati juris bona, tum in agro Pisano, tum in Florentino possedit, deinceps Ecclesiis relicta; immo quoque ipsum Florentinae civitatis fundum regiminis sui ac Principatus ambitu fuit complexa. Certe Tusciae Marchionatum terris Mathildinis speciatim adnumerat WEINGARTENSIS MONACHVS *in Historia de Principibus Guelphis C. XIII. p. 790.* cujus quidem memorabilis loci, Pisanorum mentionem diserte injicientis, verba praesertim " haec ad rem pertinent; Legati DE OMNIBVS *Civitatibus Tusciae, etc. ad eum* (Guel- " fum Ducem, Imperatoris, Friderici I. beneficiarium) *venientes, ac munera condigna* " *offerentes, subjectionem* VOLVNTARIAM *promittunt.* Praeterea, ipsam Florentiae Civitatem jurisdictionem Mathildis fuisse expertam, egregium prorsus evincit Diploma, apud VGHELLVM *T. III. Ital. Sacr. p. 114.* cujus initium ita sese habet: In Dei nomine " in civitate Florentia, in palatio domus sancti Joannis, in judicio residente domina " Mathilda Dei gratia Duce et Marchionissa, etc. Quod quidem eximium potestatis judiciariae, intra ipsos Florentiae muros, templo S. Reparatae occasionem suggerente, exercitae, documentum, cum alio Beatricis, Mathildae matris, conjunctum, quod in fine sub *Lit. A.* exhibetur tantam vim et efficaciam habere insitam merito intelligitur, ut jam vix quisquam sanae mentis amplius sit futurus, qui, a veritatis via audacter deflectens, Florentiam a Marchia Hetruria et Principatu Mathildis divellere ac segregare fingat. Quamvis vero Mathildis, turbulenta Henrici IV. Caesaris, tempestate, legem, qua constitutum, ut facultate dicendi juris et dirimendae inter subditos cujuslibet litis Regia Marchiones, non nisi praesentibus Imperatoris judicibus, uterentur, tantisper sprevisset, tamen Henricus V. ad dignitatem Imperialem, post fata parentis, evectus, Mathildis directionem confirmavit, ac jurisdictionem singulari privilegio indulsit, Vicariatu usque per universam Liguriam concesso testibus VRSPERGENSI, *Chr. p. 254.* et DONNIZONE, Mathildis Presbytero, *L. II Vit. Mathild. C. 18. p. 682.* apud LEIBNITIVM, *Script. rer. Brunsvic. T. I.* Neque existimandum est, probato Mathildis in Civitate Florentinae imperio, illa exstincta libertatis, quam fingunt, perfectae conditionem [illegible] iterum iterumque rediisse, ac inde assertionibus Imperialium parum munimenti accedere. Etenim Mathildem, quicquid consilia perversa quandoque ab obsequio et reverentia debita retinerent, majestatem potestatemque Imperatorum in Hetruriam Italiamque [illegible] legitime partam agnovisse ac saepius graviter sensisse, plura rerum documenta et facta ostendunt. Praeterquam quod enim Conradus, Henrici IV.

tici IV. filius primogenitus, [illegible] ani, applaudente [illegible], fuerit coronatus in Tuscia [illegible] [illegible] Regni [illegible], [illegible] mortem, et post obitum, [illegible] testibus BERTOLDO CONSTANTI[illegible] *in Append. ad Hermann. Contract. ad ann. 1093.* apud [illegible] *Rer.* [illegible] *m. V. L.* [illegible] *9.* DONNIZONE [illegible] *C. 3. p. 6* [illegible] DODECHINO in [illegible] *ad Marian.* [illegible] *ad an.* [illegible] *1.* [illegible] et FRISINGENSI *L. VII. Chr. C. 7. p.* [illegible] Henrico V. [illegible], Italiae Regnum, [illegible] Longobardiae et Tusciae [illegible] tates m[illegible]e, omnique Cathol[illegible] Imperator natalem Domini [illegible] celebravit prout [illegible] CHRONOGRAPH[illegible] SILD SIENS[illegible] *ad ann.* [illegible] *9.* et DONNIZ[illegible] *6* [illegible]. Imo quod certa Annalium fide constat, ac [illegible] Imperii in Tusciam insi[illegible] vita [illegible] defunctae, beneficia et bona [illegible] m jol[illegible] [illegible] con[illegible] utrolo con[illegible] dationis, quam adiper[illegible] ad Imperium revers[illegible], et [illegible] V. et [illegible] reat [illegible] Italos p[illegible] [illegible] rediisse, [illegible] obloquos; prout p[illegible] VRSPERGENSIS *p.* [illegible] ALFE[illegible]VS, [illegible] *trium fon*[illegible] *Chron. ad an.* [illegible] *P.* [illegible] *p. 227.* Q[illegible] propter CONRINGIVS *de Fin. Imp. L. I. p. 124.* et STRUVIUS *de Allod. Imp.* [illegible] Mathildis, [illegible] esse allodia et patrimonialia, [illegible] Imperii, ad exemplum aliorum allodiorum [illegible] subjectas.

Imbecillitas argumenti a consuetudine propriae magistratus defumti. Quod [illegible] jam abunde solide fuit demonstratum, Florentiae ipsam Civitatem omnem [illegible] Mathildis, potentissimae in Italia [illegible] praestantem, [illegible] sque Longobardiae et Tusciae [illegible] quoque commonitum, maxime [illegible] suo *cit. p. VI.* commentum excogitat, ac absolutam Florentiae [illegible], ab omni jurisdictione prorsus immunem, [illegible] quod [illegible] contra Imperatoris, aut [illegible] Principis [illegible] populi [illegible] ac potestate, statum Reipublicae [illegible] et [illegible] utatur. [illegible] haec, quae afferuntur, clarissima Diplomatum [illegible] fide innirerentur, pro perfecta libertate et [illegible] nihil concludi [illegible] sed quoque expeditum habetur, nos [illegible] ea [illegible] id [illegible] posse. [illegible] merito existimatur, plura longe [illegible] a Imperii adferenda [illegible] cant, in Tabulariis [illegible] (ni forsan prorsus [illegible] recondita, quam Diplomata, cassam [illegible] Florentini [illegible] Neque [illegible] et [illegible] ad monimenta, tum pu[illegible] producenda. Equidem Scriptores Florentini, [illegible] *C. XLV. p. 51.* [illegible] *p.* [illegible] *9.* POGGIVS, *Hist.* [illegible] *L. I. p.* [illegible] AMMIRATVS *L. I. pag. 31. et L. II. pag. 90.* et PETRVS BVONIN[illegible]NIVS, *L.* [illegible] *Firenz. pag. 18.* VILLANVS *L. VIII. de* [illegible] *C. I. pag. 289.* ahi, quum de constitutione Consulum, Senatorumque differunt, Caesaris & Imperii mentionem parum injiciunt. Attamen iidem ideo nullibi concludunt ad supremam [illegible] exemtionem, aut summum Imperii jus excludunt [illegible] Quin potius ea [illegible] Florentinam Civitatem sunt [illegible] de Mediolan[illegible] memorat BERNARDINVS CORIO, [illegible] *9.* ibi; "Nella Citta di Milano si trovavano molti don[illegible] emp[illegible] [illegible]eriale Sopraftava a tutti gli al-"tri, come a' Duchi, a [illegible], a Valvassori, a [illegible] Podesta, a Consoli, "Senatori, a Castellani, a Visconti, a [illegible] ecc. Neque [illegible] OTTONE FRISINGENSI, *L. II. de reb. gest. Frider. I. p. 414.* [illegible] RADEVICO, *L. II. de* [illegible] *C. 6. q. 5.* [illegible] in Italia olim invaluerat, hac quidem [illegible], ut, Imperatore Romanorum [illegible] cunctae vacarent dignitates et magistratus, ac ad ipsius nutum, secundum scita [illegible] judicium, universa tractarentur, in Tusciae [illegible] omnem [illegible] efficaciam fuit sortita, de quo [illegible] GUNTHERVS, *L. IX. Ligurini, vers. 65. seq. p. 171.* cui profecto summa fides adhibenda est, utpote Scriptori [illegible] qui candide, prout Historicum decet, literis consignavit res Friderici I. in [illegible] praestantissime gestas, atque Florentinis [illegible] Historicis [illegible] vel [illegible] omissas, vel mirificis fabulis et calumniis [illegible] odium et invidia parere [illegible] interpolatas. Denique, quantum constitutio Magistratuum, et administratio reipublicae potestati

Caesa-

Caesarum supremae fuerit suffecta, a qua subordinata; Fridericus II. Imperator, acerrimus Imperialis dignitatis majestatisque vindex, tempore indicat in L. V. Epistolarum PETRI de VINEIS, C. III. p. 659. ubi *vicarios, potestates, rectores* ... PER TVSCIAM *constitutos*, IMP. FIDELES et CVRIAE SVAE OFFICIALES nominat. Conf. quoque Epistola ejusdem Imperatoris, ad Florentinos perscripta, *cit. loc. L. III. p. 391. seq.* ubi de suo jure, quod circa regimen civitatis Florentinae ordinandum competat, verbis significantibus disserit. Quod quidem argumentum, ex ipsis Caesaris literis, Rescripti vicem obtinentibus, depromtum, tanti extat momenti, ut, quod evellere possit, minime liceat. Quicquid enim MALESPINI Fridericum de Antiochia, ... Imperatoris naturalem, quem regimini Florentino praefecerat, silentio transeat, de recensendis alioqui et nominandis per annos singulos magistratibus valde sollicitus, magis tamen arbitrandum est, illius gubernationem, Florentinis ... exosam, a Scriptoribus data opera oblivionis tenebris subdole fuisse implicitam, praesertim quum de unius anni, nimirum 1... potestate apud eundem Scriptorem nil memoratum reperiatur, vid. *Cap. CXXII. p. 81. et C. XXXII. p. 92.* Neque ipse BLONDVS, qui alias Italorum libertatem nimium extollit, et varia Commentario de inclinatione Imperii commentata, nugasque immiscet, facultatem populi Florentini circa constitutionem magistratuum tam alte repetit, *Decad. II. L. ... p. 299.* ita differens: ... Florentini se in libertatem vendicarunt. Creatisque *tunc primum* Florentiae magistratibus forma reipublicae dari coepta. Ubi est animadvertendum simul, nihil ad rem praesentem pertinere, quaenam forma civibus Florentinis tum arriserit, et an democratica cunctis aliis generibus antelata; de qua ... JO. MICHAEL BRVTVS, *L. I. Hist. Florent. p. 6. seq.* cui adde ... Decretum, apud VGHELLVM, *p. ...71.*

Amplius vero *alleg. pag. VI.* magnifice admodum alia Libertatis Florentinae argumenta excitantur, sed quae generatim saltem, Jure Gentium, supremum designant atque innuunt, adeoque probatione speciali, idonea et plena, deficiente, frustra in auxilium vocari omnino intelliguntur. Quantumvis enim quod 1. potestatem legislatoriam attinet, Florentiae *itidem* a Caesaribus Romano-Teutonicis jus circa statuta domestica (quorum condendorum facultate eadem civitates municipales pridem in Germania; et alibi sunt instructae) fuerit relictum, tamen compertum ... que est, civitatem, ex instituto Caroli M. qui ubivis in ... Imperii sui ditionem ... tria praesertim Jura narrante inter Italos praesertim SIGONIO, *de Regn. Ital. L. ... pr. et IIX. in ann. 1007.* optione data, autoritate suprema corroborat, ut ... Romanum, Salicum, Longobardicum, normae legum Imperialium itidem paruisse. Certe Juris Florentini principia nonsolum ex Jure Romano maximam partem, sunt desumpta, sed quoque idem in Academia Florentina, pariter ac Bononiensi, et aliis Italiae Scholis illustribus, semper fuit gnaviter excultum. Quae quidem Academia tam auspiciis Clementis VI. Pontificis Maximi, quam singulari Caroli IV Imperatoris, privilegio fuit erecta, quod in Appendice infra sub *Lit. B.* exhibetur, ac eximium denuo juris Imperialis praebet argumentum; quandoquidem potestas constituendi Academias ad Jura Majestatica et Reservata Caesarea, certissimo et vetustissimo Juris Publici usu, spectat, neque in alieno territorio, a jurisdictione Imperii libero, exerceri solet, docente LIMNAEO, *Jur. Publ. L. IIX. C. 1. n. 31. seqq.* 2.) Si ... cum finitimis gestorum, exempla plenam perfectamque Florentiae libertatem coarguerent, consequeretur, Lucenses, Januenses, et alios Italiae populos dudum ad suprematus fastigium usque evasisse; quos sane vinculo Imperiali ... nemo, rerum publicarum gnarus, existimarit. Ac quum saepius Germaniae Principibus licuerit, praesertim funesto Interregni aevo, vicinorum ditiones diripere, vel armis jus prosequi, integro prorsus nexu, quo iidem Imperio Romano arctissime adstricti, quis ideo exemtionem colligat, et summum libertatis jus iis Italicae civitatibus attribuat, quae, ex Caesarum absentia licentiam percepturae, immensa dominandi libidine commotae, ac divitiis opibusque fretae, alios injuste saepius oppressere? Certe OTTO FRISINGENSIS, *Episcopus, L. II. C. 13.* immoderatam Civitatum Italiae atque imprimis Florentiae, licentiam ac detestandam perfidiam graviter ... sat, ita, ut exinde satis dijudicari possit; haud jure easdem in tantam prorupisse ... meritatem, sed malevolo potius consilio, de propagandis terrarum limitibus et ... plurib

...arium Regalium usus Libertatis Florentinae consere non adjuvat.

plendis facultatibus, spreta Imperiali auctoritate, laborasse. Neque Imperatores Augusti, inter quos praecipue Henricus VII. Maximilianus I. alii, juribus Imperii, immortali nominis gloria, prospexere, tantummodo turbas, adversus Imperium insolenter excitatas, graviter ulti, poenis legitimis impositis, sed quoque injuste subactos, aequissimo judicio lato, et armis Regiis adhibitis, in integrum restituerunt, atque adeo, occupatione omni bellica damnata, qua civitas, Imperio subdita, alterius detrimento, et sine praescitu Imperatoris limites ditionis dilatarat, ipsum Regale armorum jus merito denegarunt; prout exemplo Volaterranorum, Miniatensium, Pisanorum, etc. liquet, qua de re ARETINVS, *L. IIX. Histor. Florent. f. 164. seq.* COMINAEVS *L. VII. Memoir. C. 7.* et *IIX. C. 3.* FRANCISCVS GVICCIARDINVS *Histor. ad ann. 1496.* Neque 3.) argumentum, a foederibus, cum multis Civitatibus ac Principibus percussis, ad suprematum evincendum quicquam conducit. Nam, quando ejusmodi pactiones contra Imperium (quod haud raro contigit) inire conati Florentini, Caesares illico facinus severè detestati; cujus rei illustre documentum suppeditat celeberrima proscriptionis sententia, ab Henrico VII. tum Pisis commorante, adversus Robertum, Apuliae Regem solemniter pronunciata, apud ALBERTINVM MVSSATVM, *L. XII. Hist. Henr. VII. p. 71.* ALBERICVM de ROSATE *in l. 5. C. ad L. Jul. Majest.* GOLDASTVM *Tom. un. Constit. Imper. q. 321.* ubi haec verba notatu dignissima: "Confoederationes tamen, conspirationes, uniones, "et ligas, in offensam et impedimentum processus Caesarei una cum Florentinis, "Lucanis, Senensibus et aliis nostri Imperii Romani subditis per Longobardiam, et "ut eos in rebellionis praecipitium, excitatos foveat etc. Si ubi vero foedera cum aliis civitatibus et Principibus Italiae, excepto expressae, vel tacite ipsoniet Imperio, celebrata, quorum ingentem catalogum *N. I.* exhibent; neque hinc causa suprematus juste et congrue defenditur. Nam etiam Status et Civitates Germaniae, potestati Imperii ac jurisdictioni immediate subditae, jus foederum, tuendi juris, vel dignitatis, vel pacis causa, pridem exercuere, et adhuc hodie eodem, per *Instrumentum pacis Osnabrugensis* firmato, utuntur. Inter conventiones autem hujus generis, quas civitates Teutonicae quondam celebrarunt, praesertim eminuit foedus Hanseaticum, sic, ut urbes Hanseaticae, egregiis opibus instructae, saepius cum Regibus Daniae et aliis potentissimis Principibus terra marique bella gesserint, pacem inierint, imo Mediationis officio libere fuerint defunctae, integro utcunque summo Imperii jure, utpote in cujus clientela semper perstitere, et adhuc dum persistunt. Quo imprimis consulendus est DATTIVS, *Vol. Rer. Germ.* ubi foedera Statuum et Civitatum Imperii illustria longe numero enarrantur. Unde apparet, usum ejusmodi jurium non praestruere semper absolutam Juris Gentium libertatem, quae summitatem Imperii, quam vocant, complectatur. Certe nec desunt infinita fere foederum exempla, quae Mediolanenses, Mantuani, Placentini, Bononienses, aliique Italiae populi, vel inter se, vel cum aliis pepigere: qui tamen nunquam in tantam audaciam prolapsi, ut ideo suprematum quendam sibi adrogarent, vel instar liberorum, qui ab alieno arbitrio minus penderent, imperantium haberi vellent. Imo in Foederum et Pactionum Tabulis, *Appendici sub N. II.* insertis, quibus Florentini amicitiam et benevolentiam Regum Franciae, Caroli VI. ann. 1396. et Ludovici XII. 1508. conciliare sibimet conati; verba sic disposita, ut ex toto contextu nil uspiam eliciatur, quod vel majestatem Imperii offendat, vel de suprematu quodam testetur. Certe, quum aevo primi foederis, quod hic memoratur, Venceslaus, Imperator, res Italicas parum curaret, atque Galeacii, primi Mediolanensium Ducis, potentia mirifica incrementa accepisset, necessitate summa velut Florentini coacti ad foedus cum Galliae Rege peragendum; quod quidem mox deseruere, Ruperto Romanorum Imperatore electo, cujus auxilium deinceps summa animi devotione adversus eundem Ducem expetiere, prouti apparet ex Literis ipsorum apud MARTENIVM *Thes. novor. anecdot. p. 1636.* de quo infra pluribus. Quod vero alterum foedus, cum Ludovico XII. conclusum, attinet, in eodem, quod juribus Imperii adversum, continetur, cum etiam secundum sententiam, variis Juris Publici peritis comprobatam, Civitatibus Imperii immediatis liceat, sese protectioni Principis extranei commendare, salvo Imperii nexu, quem hic satis perspectum cognitumque habuisse Ludovicum, distincte patet tam ex *Instrumento pacis*, paulo ante Blesiis (ann. 1504.) inter Maximilianum I. Caesarem, atque eundem Regem compositae, sub *L. C.* quam GOLDASTI *Act. Polit. p. 60.*

et 64.

et 64. add. MAGER. de Advocat. armat. C. VI. n. 66. seqq. Praeterea in literis quoque Florentinorum, Tabulis Foederis de ann. 1396. in Append. Lit. D. subjunctis, ii diserte profitentur, sese Populum Regium, i. e. Regibus Italiae, Caroli M. successoribus, obedientem exstare, ac Regali vexillo semper ab inclytae memoriae Karolo M. usos fuisse. Jam Caroli M. insignia qui describunt, affirmant, Caesarem istum in dextro scuti latere dimidiatam Aquilam, S. R. Imperii vetustissimum insigne, in sinistro autem lilia aurata, gestasse, vid. GERONIMO di VRREA, Part. I. del vero honore militare, p. 104. Ac Vexilliferum Florentinorum, qui singulari semper auctoritate eminuit, Imperialis Vicarii nomine [illegible] extitisse, certa quoque Aquilam inde habeat compertum. Tandem itidem rem maxime illustrat, quod Instrumenta ista a personis, quae Imperiali auctoritate Judices ordinarii, etc. nominantur, fuerint subscripta. 4.) Hinc pro suprematu concluditur, quod populus Florentinus monetam, sua ipsius auctoritate proprio signo signatam, semper cuderit. Sed, praeterquam, quod, manifesto Juris Publici usu, nonsolum quam plurimae Germaniae Civitates immediatae, sed municipales quoque, commercii et mercaturae gratia, privilegiis Imperatorum, vel praescriptione, quae tacitae concessionis vicem obtinet, jus monetandi pridem acquisierint, neque proin semper principale supremi dominii sigillum, uti THVANVS definit, constituat, docente STRUVIO SYNTAGMA Jur. Publ. C. XII. § 34. 35. et XXVI. §. 70. ita abunde, quo jure ac titulo Florentini facultatem hujusmodi exercuerint, ex facto Henrici VII. Caesaris cognoscitur, utpote qui istis, ob perfidiam, jus monetandi, sententia proscriptionis lata, ademit, testibus VILLANO C. XLIIX p. 401 AMMIRATO p. 257. seq. MVSSATO in Vit. Henr. VII. L. XIV. p. 78. Quae quidem minus licuissent, si Florentini supremo dominio fuissent praediti, et Regale monetandi jus isti ad nexum habuissent. Certe jus monetandi in Imperio Romano-Germanico, ab antiquissimis temporibus, ad potestatem Imperialem, in Italiae oris itidem, pertinuit, ac si a civibus fuit exercitum, id beneficio Imperatorum et concessioni, vel tacitae, vel expressae, acceptum utcunque debuit referri, prouti exemplo Venetorum liquet, quibus cum ab Imperatoribus Occidentalibus jus monetandi indultum probe cognovisset, Auctor Scrutinii Libert. Venetae, hinc adversus libertatem Reipublicae haud contemnendum depromit argumentum, C. XVI. §. 49.

Quemadmodum igitur omnia ista jura, ad quae cit. p. VI. provocatur, libertatem perfectam Florentinae gentis minime coarguunt, ita a veritatis via valde deflectunt, qui adfirment, nullum in Florentina urbe extare monumentum, nullam in publicis tabulis memoriam, ut ne suspicari quidem liceat, aliquid autoritatis habuisse imperatores, aut alios Principes in Reipublicae administratione. Nam saepius evenit ut Documenta supprimantur, vel occultentur, ac publica monimenta data opera removeantur, quae certissima majestatis Imperialis testimonia edere intelliguntur. Plane, etsi forsan veteris Palatii, ubi complures Caesares commorati, nulla amplius appareant vestigia, tamen inde parum praesidii pro suprematu imaginario arcessitur; Imo ea ratione plures Imperii civitates, in aliam formam externam, mirifica temporum vicissitudine, redactae, exemtis et prorsus liberis forent adnumerandae. Sufficit tot egregia Documenta, tam in Archivo Imperii recondita, et jamdum producta, quam a Scriptoribus Italis, fide dignissimis, commemorata, tot ipsius Florentini populi confessiones, tot denique fortissima rerum argumenta antiquiora, et recentiora, jus Imperii in Etruriam penitus comprobare. *Ingens numerus Documentorum jus Imperii comprobantium.*

Jam vero amplius, Florentinam Civitatem perfectae libertatis semper fuisse compotem, hine evinci posse existimatur, quod ipsa nunquam non magno animo vim et conatus cum aliorum Principum, tum Imperatorum, eorumque Vicariorum, represserit, ac prospero successu libertatis amittendae periculo semet subtraxerit. At, praeterquam quod AVGVSTINVS, NIFIVS, et FORSTNERVS, hic allegati, cum fortunam Florentinorum singularem extollunt, libertatis forsan verbo formam regiminis liberam innuant, et potentium vicinorum, v. c. Vice-Comitum et Ducum Mediolanensium, saepius agro Etrusco inhiantium, sed incassum laborantium, habeant rationem, imo hominum privatorum, de juribus Imperii sinistre sentientium, judicium nihil efficere vel nocere possit, ita jam accurate inquirendum est, utrum res Florentini populi gestae, quae hic longa serie recensentur, ex genuinis Annalibus fuerint legitime ac ingenue demonstratae, et quo jure Imperatoribus, ipsorumque Vicariis, potuerit idem resistere, arma objicere, mandatis reniti, et turbas tantas in *Rerum a Vicariis Imper. egregie in Tuscia gestarum exempla.*

Regno Italiae excitare. Primo autem ex SIGONIO *de Regn. Ital. L.* XIV. et AMMIRATO *in L.* I. *adaucto ad ann 1172.* refertur, Florentinos Christiano, Archiepiscopo Moguntino, obstitisse, in Etruriam misso. At sicubi verba SIGONII probe perpendantur, apparet 1.) Moguntinum a Caesare, jurium Imperialium strenuo defensore, non ideo Tusciam adiisse, ut, quaesito colore pacandi provinciam, eam Imperio addiceret; potius illo fine, ut pacatam in fide contineret. 2.) Ipse SIGONIVS perfidiam Florentinorum perspicue coarguit, ac justam poenam, qua subsequuta, his verbis designas: " Caeteris (Etruriae populis) se illius (Moguntini) arbitrio remissuros injurias, litesque dicentibus, Pisani et Florentini pristina in pertinacia perstiterunt. Itaque ambo tanquam communis ocii hostes ab eo proscripti; et beneficiis Imperialibus spoliati sunt. Non solum vero SIGONIVS de subjectione Civitatis Florentinae, aevo Friderici I. continuata atque corroborata diserte testatur, sed GODEFRIDVS VITERBIENSIS, *Part. XVII. Chron. p. 516.* itidem narrat, quantopere Imperator istam sigillatim officii admonuerit, et ad obsequia debita reduxerit. Neque divertunt hic RICORD. MALESPINI, *Cap. LXXXII. p 59.* et BVONINSEGNIVS *L. I. p. 32.* qui de Judicibus et Vicariis, in cunctis Etruriae Civitatibus a Friderico I. constitutis, distincte ac candide perhibent.

Sub Friderico I.

Sub Rudolpho I.

De Rodolpho I. Imperatore *cit. p. VII.* memoratur, Civitatem Florentinam Vicario ipsius, ann. 1281. misso, obtemporare, illumque excipere noluisse. Verum hic apprime commonendum est, perperam vicarium *Landdi* adpellatione insigniri, quum potius, anno eodem, Rodolphus, Caesaris Cancellarius, atque Geroldus, Episcopus in Austria Gurcensis, res Imperii in oris Italiae direxerint. Id quod comprobat Epistola Pontificis Maximi, Martini IV. ad Etruriae Marchiones, Comites, et Potestates, scripta, apud urbem veterem ann. 1281. XII. Kalendas Junii, ubi jus Rodolphi Caesaris in Tusciam enixe agnoscitur, pariterque monetur, ut vel utrumque Caesaris Vicarium revererentur, vel unum illorum subjecta mente reciperent, et iisdem ea, quae decet, obsequia praestarent. Deinde compertum est, Rodolpho, Cancellario, ob acquisitam dignitatem Archi-Episcopi Salisburgensis, Italia evocato, ac, Imperatorem vetera Florentiae privilegia confirmaturum, pollicito Joannem de Avesnis ann. 1284. qui in *Scripto adverso* lepide omittitur, fuisse suffectum testante DIPLOMATE infra *sub Lit. E. et* AMMIRATO, *L. III. 158.* Quo anno 1285. discedente, sequenti, Honorio IV. Papa efflagitante, ad munus Vicarii in Tuscia evectus Princivalles Fliscus, Comes Januensis, qui omnino prospero successu res Imperii administravit. Florentiam enim ingressus, cives ad Sacramenti praestationem concitavit; cui negotio quum, more consueto, terga verterent Florentini, fuere denuo proscripti, sic, ut idem Fliscus ex Germania milites in Tusciam adduxerit, et Aretinorum causam adversus illos et Senenses exacte propugnarit, quod referunt VILLANVS *L. VII. C. 91. 94.* atque AMMIRATVS *L. II. p. 171. 169.*

Commentum de donatione et venditione Rodolphina, ipsis Florentinis explosum.

Neque vero existimandum est, jura Imperii a Rodolpho I. fuisse vendita. Nam id commenti ipsi illi publicè inficiantur, qui, autoritate publica commoti, Suprematus Florentini conditionem tuentur. Plane, quid de Flisco, Vicario Imperiali, censendum sit, omnium optime declarat VBERTVS FOLIETA, *in clarorum Ligurum Elogiis*, qui, Jacobi aetati et gloriae, ait, succrevit Princivalles Fliscus, ipse quoque ad summos honores a Rudolpho Caesarae elatus. Vicarius enim in Italia Imperialis fuit. Amplam vero et splendidam eam fuisse procurationem (quanquam rerum Princivallis parva, neque ea admodum explicata exstant monumenta, quae quidem ipsi viderimus) hinc statuere licet, quod in Hetruscis Annalibus legimus, Princivallem Caesaris nomine Hetruriae civitatibus tributa imperasse, illumque in bellis, quae per eadem tempora in Hetruria gesta sunt, inter primores Duces, cum summo Imperio fuisse varia fortuna usum. Certe nemo diffitetur, quin Interregni diuturnitas majores Spiritus Florentinis instillarit. Sed inde non magis ad Libertatis perfectae culmen ii penetrarunt, quam reliqui S. R. J. in Germania pariter ac Italia cives qui, licet egregiis juribus aevo illo turbulento potiti, nihilominus in fide inviolata perstiterunt, de exemtione quadam nequidem cogitantes. Interest adjicere hic ea, quae MACHIAVELLVS, *L. II. Histor. Flor. p. 36.* itemque POGGIVS, *L. V. Histor. Flor. p. 203.* ingenue memoriae prodiderunt; quorum ille ait: " Florentiam " primo stirpem Carolinam obtinuisse et Imperatoribus Germanis paruisse, sub interregnum majorem audendi facultatem (nequicquam exemtionem, vel plenam liber-

Ingenua confessio Scriptorum Florentinorum.

tatem)

" tatem) accessisse; hic vero sic disserit: Erat civitas longa pace admodum opulenta, "opes amplissimae, pecuniis affluebant cives supra modum elati fastu, et, ut fieri solet, ex rerum copia orta superbia neque Pontificem (Imperatorem) neque quenquam alium magni pendere sinebat.

Vicarius ab Adolpho, Imperatore, in Tusciam missus.

Quid igitur mirum, Florentinis ipsis Scriptoribus Superbiae vitium civibus suis exprobrantibus, hos itidem Vicarium Adolphi Nassovii, Caesaris, Joannem de Gabillone, in Tusciam missum, haud aequo nimis animo pertulisse? Certe quicquid Vicarii isti effecerint, eorum tamen missio ac delegatio comprobat, Imperatores Romano-Germanicos post Interregnum quoque jura Imperii in Civitatem Florentinam sarta tectaque conservasse, atque contra quamlibet praescriptionem muniisse. Ceterum Joannem de Gabillone quum BORGHINIVS, *p. 323.* Alberti I. Imperatoris, Vicarium exstitisse arbitratur, insigniter decipitur. Nam ann. 1293. regnanti Adolpho, missum fuisse, disertis verbis commemorat HENRICVS STERO, *in Annal. ad ann. 1293. p. 398.* Deinde quantum patriae aduletur idem, hinc abunde colligitur, quod narret, Joannem istum in publicis istorum temporum Chartis nunquam Romanorum Regis Vicarium, sed tantummodo *praetentum* adpellari. Etenim PTOLOMAEVS LVCENSIS, *in Annal. ad ann. 1296.* licet circa tempus discrepet, Joannem *Vicarium in Tuscia* vocat, ac, *Thuscos voluisse excutere jugum de manibus Imperii*, oblata pecunia, perhibet. Pecuniae vero summam, praescriptam, Vicario tam Adolphi, et Alberti I. quam olim Rodolpho I. Praefecto a Florentinis exsolvi debuisse, idque tanquam a subditis, satis Robertus Rex civibus in memoriam revocat, apud AMMIRATVM *L. III. p. 243.* quicquid rem palliare audeat BORGHINIVS, *p. 328. seq.* cujus itidem mentionem injiciunt BVONINSEGNIVS, *L. I. p. 101.* VILLANVS, *L. IIX. C. 10. p. 292.*

Refellitur BORGHINIUS.

A repugnantia Florentinorum frustra Libertatis ducitur argumentum.

Postquam de Vicariis actum fuit, ac satis demonstratum, quantum hac in re argumenti pro Jure imperiali situm sit, et quantum ii fallantur, ac propriam veluti turpitudinem profiteantur, qui ex perfidia et repugnantia subditorum perfectae Libertatis facultatem aliquam dimanare, censent; dispiciendum et indagandum itidem est, qua ratione, quove juris fundamento suffulta parva Florentinorum manus ipsis potentissimis Augustis ac Romanorum Imperatoribus restiterit, ipsorumque vim represserit? Jam praecipue *p.* VIII. Henricus III. (IV.) ann. 1081. post longam obsidionem, re infecta discedere coactus esse memoratur, adductis in *Append. N. II.* SIGONII, MALASPINAE, et AMMIRATI verbis. Sed quis inde coarguat, civitatem Florentinam Imperio Romano haud fuisse subjectam? Plane ista tum obsidionem sustinuit, quod partibus Pontificiis addicta esset, ac Caesaris excommunicati, imperium agnoscere nollet; neque proin perfectam Libertatem vel exemtionem illico affectavit, Henrico V. successori, nequaquam repugnans. Nec sola Florentia Henrico undique vexato, sese opposuit, ac perfidiam armis corroboravit. Sed plures quoque aliae Italiae Civitates, Imperio subditae, tum coërceri et obsequia prorsus revocari minus potuerunt, usquedum, nebulis discussis, clarior felicitatis, justae causae comitis, lux affulgeret.

Factum Friderici II. Imp. ab objectionibus liberatum.

Praeterea quod Fridericum II. Imp. attinet, is sane, ipso fatente ARETINO, *L. I. in fine*, rebelles Hetruriae civitates ita domuit, atque compescuit, ut fabulae magis instar, ab Italis excogitatae, illud habendum sit, quod declausis portis, et rejecto Caesare *cit. p.* VIII. adfertur. Immo hic lubenter conceditur, Gibellinos summam rerum civitatis, arbitrio Caesaris et voluntate, obtinuisse; quod quidem iterum supremum Imperii jus extra omnem longe dubitationem collocat, ipso BLONDO, *Decad. II. L. 7. p. 288.* quantum Friderici II. in Etruscis valuerit auctoritas, haud reticente; itemque MALESPINA, *Cap. CXXIX. seq. p. 88. seq.* testante: "Florentinos in Servitio Imperatoris fideliter militasse; quapropter apud GOLDASTVM, *T. II. Const. Imper. p. 64. seq.* fideles iidem nuncupantur.

item Ludovici IV. Imp.

Neque, quamvis optima Ludovici IV. Imperatoris, e Domo, Serenissima Ducum Bojoariae, consilia fortuna destituerit atque Guelficae parti addicti Gibellinis varias tum crearint molestias, illico est existimandum, Florentinos ipsius Imperii Romani jura in dubium vocasse, vel Caesares supremam potestatem, in universam Tusciam jam dudum legitime partam, belli jure iterum amisisse. Non solum enim Ludovicus Castruccio, cujus vitam MACHIAVELLVS literis consignavit, Vicarii Imperialis in Hetruria officium, itemque dignitatem Ducis & Vexilliferi concessit publicis

 Diploma-

Diplomatibus, quae exstant apud FREHERVM, *in Script. Rer. Germ. edit. Struv. p. 566. seq.* et MEIBOMIVM. *T. III. Rer. Germ. fol. 209.* et quorum verba prorsus sunt egregia, ac praegnantibus formulis jus Imperii in omnes istas civitates servant; sed quoque Imperator, ac Germaniae Proceres Gibellinos in Italia tantum non primam post expeditionem, deseruere, ut potius Ipse Joannes Boemiae Rex dignitate Vicarii Imperialis ornatus, in Longobardiam et Tusciam ann. 1330. e valle Tridentina fuerit profectus; quam expeditionem descripsere JO. VILLANIVS, *Lib. X. C. 170.* CAROLI IV. IMP. *Commentarius de Vita sua*, quem in *Scriptoribus Rerum Bojoënicarum* exponit MARQVARDVS FREHERVS. Quinimo ex *Vita Johannis XXII.* Pontificis Romani, a BALVZIO ex *Appendice Ptolomaei Lucensis* edita, satis perspicitur tum Guelphos, tum Gibellinos, mirifico et confuso illius aevi statu, jura Imperii usurpasse. Quae quidem usurpatio injustissima omni merito effectu caruit, neque illa suppressit, nec diu, uti paulo post demonstrabitur, duravit. Ceterum, quare *eadem pag. VIII.* Florentina Civitas Imperatori, Sigismundo, ann. 1431. *strenue feliciterque* se opposuisse narretur, minime liquet. Etenim Florentinos, Venetorum tunc socios, et varia, collectis copiis militaribus, molitos, insigni victoria domitos, aequissimam perfidiae poenam an. 1432. sustinuisse, TRITHEMIUS, *Chron. Hirsaug. ad dict. ann.* NAVCLERVS, *Vol. II. Gen. 48. p. 1055.* et DVBRAVIVS, *Hist. Regni Boh. L. XXV. p. 667.* uno ore commemorant. Sigismundus varios in Italis Imperii Vicarios creavit, praesertim Sabaudiae Ducem, et Mantuanum quoque, cum Marchionem, atque adeo jus istius sublime adversus quamlibet praescriptionem et usurpationem gloriose confirmavit, testibus NAVCLERO *cit. loc.* CVSPINIANO, *Vit. Imperat. p. 397.* Neque Imperator, Roma discedens, Florentiam praeteriisset, ni reditum in Germaniam accelerasset, Concilio Basiliensi, Eugenii IV. Pontificis, partibus adverso, Principis praesentiam postulante. Denique ipse AMMIRATVS, *L. XX. p. 1082.* et *1085.* refert, Florentinos, postquam ipsis urbis Pisanae occupationem exprobrasset, *ad honorem Imperii* eam se tenere, respondisse; itemque RAYNALDVS, *Continuat. Annal. Baronii*, *ad ann. 1433.* de pacata auspiciis Augusti indulgentissimi Etruria loquitur.

Factum insigne Sigismundi Imperatoris.

Quicquid igitur, Rempublicam Florentinam semper jus suae libertatis acerrime defendisse, et ab ejus possessione nunquam fuisse dejectam, hucusque glorientur, sperandum tamen est, fore, ut sin minus levitas argumenti manifesta ex iis, quae jam in contrariam partem adducta, cognosci atque dijudicari velit, plene convincat locus egregius, qui continetur *oratione*, *ad Judaeos* habita, apud *Josephum de Bello Judaic.* ita sese habens: "Honestum quidem est pugnare pro libertate; sed id olim factum "oportuit. At, qui victi semel sunt, et a longo tempore subjecti, si jugum excute-"re velint, faciunt id, quod desperatorum est, non Libertatis amantium.

Diluitur argumentum, a demandata exteris rei publicae administratione depromtum.

Jam vero quidem novum Suprematus Florentini documentum, ab administratione rei publicae, exteris demandata, desumtum, *p. IX.* proponitur. Sed iterum id argumenti partim apertissimis Annalium monumentis refragari, solide demonstrari potest. Etenim, quam perperam dicatur, adeo Florentiam fuisse tenacem suae Libertatis, ut ne in difficillimis quidem ac turbulentissimis temporibus, ad Imperatores confugerit, et in eorum praesidio tutelaque constituerit suae salutis propugnaculum, exinde illico colligitur, quod Rupertum, Imperatorem, summis precibus efflagitarit, atque obsecrarit, ut Italiam, valido exercitu stipatus, ingrederetur, atque Civitatem adversus Galeacii, Mediolanensium Ducis, validissimam potentiam, et minas gravissimas tueretur; de quo jam supra actum fuit. Atque hinc vel solummodo dogmatis adversi vanitas adeo apparet, ut, plura exempla imploradonis summi auxilii Imperialis commemorare, foret penitus supervacaneum. Deinde ea, quae de Manfredo, Siciliae Rege, Friderici II. Imp. filio, Florentiam evocato, atque Imperio civitatis praedito, narrantur, jus Imperii magis longe adjuvant, quam Libertati Florentinae, ex causa administrationis rei publicae, exteris commissae, inserviunt, propugnandae. Certe nec Factio Gibellina Guelfos tum ejecerat, quum potius hi longissime praevalerent; neque Florentini uspiam Manfredum, ob patris imprimis memoriam inimicissimum, sponte acciverant, vel ipsi gubernationem civitatis directionemque libero arbitrio detulerant. Nam, postquam ipsi ann. 1257. ferme usque ad internecionem auspiciis Manfredi, Gibellinorum in Italia gravissimi defensoris, fuissent caesi, consiliis, quae de Senensibus, Imperii fidelibus, subjungandis ceperant, uno veluti momento

Exemplum Manfredi.

mento suppressis; tum sane Manfredus proprio jure victoriae, tanquam Imperialis potestatis, hucusque pertinaciter neglectae, vindex, Florentiae urbem occupavit, quae etiam Regis mandata devote suscepit, et reverenter ejusdem placitis colla submisit; quemadmodum ingenue recenset SALLA MALASPINA, Scriptor coaetaneus, *L. I. C. 4.* qui Florentinorum et Guelforum fastum, aliaque vitia exacte describit. Ejusdem insignis victoriae, atque Subjectionis Florentinorum subsequutae, meminit itidem MONACHVS PADVANVS, *L. III. de Rebus in Insubr. et Eugan. gest. p. 613.* qui ait: " Florentinos coram militia principis (Manfredi) eorum peccatis exigentibus, " miserabiliter corruisse. Nec denique diffitetur ARETINVS, *L. II. Histor. Flor. p. 31.* cujus verba memoratu dignissima: " Non jam populi sed Manfredi nomine cuncta " gerebantur. Stipendia ex aerario Florentini populi Germanis promebantur. Omnes " cives, qui in urbe remanserant, fidem promittere coacti in Manfredi nomen jura- " vere, cui suffragatur BLONDVS, *Decad. II. L. 8. p. 310.* Neque ambigendum est, quia Florentini, jam mansuefacti, in fide promissa melius perstitissent, nisi, Manfredo a Carolo Andegavensi victo et interfecto, atque civitate a Pontifice ob Manfredi imperium anathemate percussa, Guelfi iterum, a Carolo ducti, turbas in Etruria excitassent, atque regiminis administrationem denuo sibi arrogassent. Praeterea vero habetur exploratum, non tam in libertatem eo tempore semet recepisse Florentinos, quam potius in Caroli Andegavensis servitutem incidisse. Sane idem magis, auctoritate Pontificia adjutus, summa rerum in Tuscia fuit potitus, quam populorum voluntate, utpote qui Carolo extero summopere adversantes, neque ipsius libidinem dominandi ignorantes, Conradino, Friderici II. Imp. nepoti, et legitimo prorsus domino obedire mallent; qua de re perhibet MONACHUS PADVAN. *loc. cit. p. 623.* Et constat, Carolum Andegavensem, Hetruriae rebus quum praefuerit, Vicarii Imperialis nomine ac officio fuisse defunctum, nequicquam autem proprio Regis Siciliae vel alio titulo innixum. Ita enim MONACH. PADVAN. *alleg. loc. p. 622.* " Rex, " ait: Carolus regno subacto Siciliae venit Viterbium ad Papam Clementem et ibi- " dem est ab eo vicarius Imperii constitutus, cujus mandata caeterae civitates Tusciae " humiliter receperunt. Atque RICORDANVS MALESPINI, *p. 139.* et *141.* auctor est, eundem Carolum suos quotannis Vicarios Florentiam ablegasse, ab his civibusque duodecim aliis urbem fuisse gubernatam, ac ipsum Regem eo sese contulisse, ibique plures equites creasse. Ceterum ille Vicariatus Tusciae non solum, salvis Imperii juribus, teste RAYNALDO *ad ann. 1267. num. 7.* literas Clementis IV. ex Archivo proferente, Carolo fuit concessus; sed quoque in *Bulla Pontificia*, quae infra sub *L. f.* exhibetur, diserte is terminus adjectus, donec Imperium vacare desineret, sic, ut, Rudolpho I. dignitatem Imperialem capessente Nicolaus III. Papa administrationem Carolo iterum abrogarit, narrante FRANCISCO SANSOVINO, *nella Storia di Casa Orsina, L. II. p. 27.* Neque id displicuit Florentinis, leges ac conditiones, ab ipso Pontifice praescriptas, religiose observantibus, utpote qui, ista aetate minus Imperium Romano-Germanicum, sed Gentem potius Suevicam, ab aliis seducti, odio prosequuti; quod, peremto Conradino, itidem interierit. VILLAN. *L. VII. C. 21.*

Carolus Andegavensis extitit Vicarius Imp. in Etruria.

Equidem jam *p. X.* recens administrationis exteris demandatae, exemplum, quod ad Libertatem Dominii Florentini evincendam sit comparatum, excitatur. At quicquid Bonifacius IIX. Papa, Alberto, Caesari, observante MVRATORIO, *in Dissert. de Jurib. Imper, in statum Eccles. Roman. e Chronico M.S. Bibliothecae Atestinae*, circa ann. 1330. concinnato, mirifice infensus, auctoritatis hic sibimet adrogarit, Carolo, Valesio, *Bulla*, quam *Lit. G.* expromit, Vicarii sive Paciarii officium adsignans; compertum tamen prorsus habetur, illum in literis, apud RAYNALDVM, ad Portuensem Episcopum scriptis, lubenter confiteri. *Tusciam pertinere ad Imperium, Carolum Valesium vacante Imperio interea Paciarium fuisse constitutum*, utque ante hac non alio obtentu ab eodem Pontifice Matthaeum Aquispartanum ad Florentinos missum, quam quod Caesarem Vicarium ipse semet gereret. Cujus quidem jussibus quum initio reniterentur, diris sane sunt devoti, ac in subsidium vocatus demum Valesius, qui civitatem, auctoritate ejusmodi munitus, armatusque, intravit. Quemadmodum vero sententiae huic optimae, quae, Bonifacium nomine Imperii Carolo munus Vicarii et Paciarii tradidisse, confidenter adfirmat, nil obest, quod neque PLATINA neque AMMIRATVS ea de re quid commonuerint; ita quoque patet, eundem Papam, licet in *Brevi* quodam, apud MVRATORIUM *cit. loc* restitutionem provinciae Tusciae, ad

Carolus Valesius itidem Imp. Vicarius.

Romanam Ecclesiam veluti quae pertineret, urgeat, nunquam tamen propositi finem attigisse, immo mox animum adquirendi ditiones, ad Imperium pridem legitime translatas, deposuisse, postquam, Alberto I. Imp. tandem conciliato, Carolus Florentia discessit, in tot dissensionibus civilibus sedandis ac supprimendis non adeo prospere versatus, ac bello Siculo, Friderico Regi inferendo, mirifice distractus; prouti referunt MAGNUM CHRON. *Belgic. p. 278.* et BENEVENUTUS de RAMBALDIS *Histor. August. ad ann. 1299.* apud FREHERUM, *Scriptor. R. G. T. II.* Turbas vero, quibus isto tempore Florentina civitas adeo impleta ac misere dilacerata, describit perspicue PTOLOMAEUS LUCENSIS, *ad ann. 1301.* his verbis: " Eodem anno " nempe 1301. dictus Dominus Carolus venit Florentiam, et facta est ibidem magna commotio, et spoliorum direptio et domorum combustio in civitate et in Comitatu, qualis non fuit a tempore, quo Guelfi et Gibellini Florentiae fuerunt.

Administratio Roberti, Siculorum Regis, ejusque Filii Caroli, juribus Imperii nihil officit. Quantumvis autem *ead. pag. X.* amplius pro Libertate Florentina commemoretur, ann. 1313. et 1325. administrationem Civitatis Roberto, Siculorum Regi, ejusque filio, Carolo, fuisse collatam, citra omnem Imperatoris voluntatem, atque eo fine, ut fortius ipsi resistere possent, neque hoc facto quidpiam continetur, quod jus Imperio infringat, vel instituto adversae partis inserviat. Nam Robertus potestatem Florentiae obtinuit concessione Pontificis, Joannis XXII. qui itidem Vicarii in Italia et toto Romano Imperio dignitatem adfectavit, Ludovici IV. Bavari electionem graviter impugnans, quorsum Extravagantes Johannis XXII. *Ne sede vacante*, in Corpore Juris Canonici. Igitur ex ipsa Pontificis confessione, ac constitutionis formula, apparet, Imperii supremum dominium in Civitatem Florentinam nequidem tum fuisse in dubium vocatum; quum Guelphi eo licentiae nusquam profecti, saltem id sibi persuasum habentes eum Imperatorem, qui, in Germania electus, a summo Pontifice haud fuerit confirmatus, potestate omni majestateque esse destitutam. Quam quidem istius seculi superstitionem ac singularem opinionum pertinaciam omnium optime declarat AVENTINUS, *in Annal. Bojoar. L. VII.* Ceterum Florentini, quicquid in clientelam Siculorum tantisper concessissent, Ludovicum IV. haud impedire potuerunt, quominus auctoritatem Imperialem in Italis egregie tueretur, ac ubivis jura illius, vi armorum et invicta fortitudine, corroboraret, quam pro dignitate exposuit NICOLAUS BURGUNDUS, *in Ludovico IV. Imp.* Quapropter tuto concluditur, in argumento, ab administratione rei publicae exteris demandata, deprompto, nihil prorsus reconditum esse, quod causam Suprematus Florentini adjuvet; praecipue quum Pontifices, de controversiis civium sopiendis soliciti, cuncta nomine Imperii peregerint, ipsi Siciliae et Apuliae Reges, a Henrico VII. et aliis Imperatoribus pro clientelaribus tum pariter habiti, istius jura probe cognoverint, neque mos ille diu perstiterit, nec jus quoddam perfectae Libertatis ac exemtionis factis illegitimis, perversa temporum conditione impune saepius commissis, procreari queat; de quibus *Chronicon Siculum*, passim, quod nuper e tenebris produxit EDMUNDUS MARTENEUS.

Refellitur argumentum, a testimoniis Jurisconsultorum. Quandoquidem vero ex Annalibus et Historicorum Commentariis, hucusque a parte adversa magno agmine congestis, nihil uspiam apparet, quod mentem ab oppugnanda Libertate Florentina dimovere possit; multo minus absterret ingens JCtorum copia, quorum testimonia, de existentia, vetustate, et praestantia illius lata, *pag. XI. XII. et XIII.* recensentur. Principio enim minime conceditur, hac in controversia dictis ac testimoniis Juris peritorum simpliciter standum esse. Equidem compertum est, lites publicas, quae inter Principes de Supremo dominio, vel libertate alicujus Regni, vel Principatus agitantur, itidem ex principiis Juris, inque primis Naturalis ac Gentium, dimetiendas et decidendas esse. Ar quis, prudentiae civilis gnarus, unquam aliquorum JCtorum auctoritati tantum tribuerit, ut, eam regionem liberrimo jure instructam esse, arbitretur, cujus libertas, sobrie spectata, *in facto* consistit atque genuinis Documentis, atque ipsis rerum argumentis potius est probanda? Jam, praeterquam quod, si praesens quaestio consideretur, omnis probatio, legitimis, integris, ac fide dignis Instrumentis perficienda, prorsus deficiat, ac potius causa Imperii egregiis Diplomatibus, Actisque Publicis, tum ex Archivo depromtis, tum ab Historicis celeberrimis, ipsisque partim Florentinis et Italis, diligenter consignatis, ita sit instructa, ut melius instrui et demonstrari haud possit; JCti, *hic* anxie conquisiti, summopere vitio suspecti non solum laborant, sed itidem solidas et adae-

quatas

quatas nullibi adjiciunt rationes, quibus opinioni, admodum singulari, justum robor accedat; quae, etiamsi communi Doctorum consensu munita esset, nequidem rem exhauriret, cum communes saepe sententiae maximi erroris coargui, atque aliis, eodem communium nomine insignitis, convelli et implicari acriter soleant. Certe PAVLVS CASTRENSIS, exiguae famae JCtus, nequaquam de jure, sed de facto loquitur. *Abbas Panormitanus*, homo Guelficis partibus addictus, perperam commiscet perfectae libertatis et immunitatis a suprema Imperii potestate jus, atque usum Regalium, privilegiis partim, partim praescriptione territorio connexorum. Civitates quoque Germanorum immediatae pridem Superioritatem, quam vocant, Territorialem, ditionum limitibus conclusam, exercuere. Neque tamen hinc exemtio quaedam et facultas, a nemine pendens, unquam enata, neque, integro permanente Imperii Systemate, enasci potuit. Quin majestas itidem, quousque complexum jurium Majestaticorum efficere intelligitur, monente COCCEJO, *in Jur. Publ. Prudent. C. XXI. §. 6.* titulo utilis dominii, vel alio inferiore, congrue possidetur. Nec reliquae in Italia civitates, certissimo vinculo jam olim adstrictae Imperio, v. c. Janua, Luca, etc. Interregni imprimis post tempora, Regalibus fuere destitutae; quibus tamen idcirco nemo veterum ejusmodi JCtorum, quantum constat, tam mirificam libertatem adscripsit. Profecto testimonia JCtorum forsan minus forent penitus hic contemnenda, si modo, quotquot exstant, differentias, quae Florentinam, et alias Italiae Civitates intercedat, ejusque vim paulisper, idque dilucide ac idonee explicallent, vel ALBERICI de ROSATE documento ipsis inniti licuisset, qui, *ad leg. cunctos populos C. de S. Trinit.* de Venetae Reipublicae libertate disserens: "Vidi, ait, "privilegium exemtionis, concessum Duci et civitati Venetiarum, bullatum bulla "aurea: et per illam dicunt se Imperio non debere subesse, et ita etiam videtur sentire "magister Joannes Parisiensis. Denique Scriptores, *Num. IV.* subjuncti, ac in unam veluti cohortem collecti, maximam partem, sensibus Guelphorum plus dedére, quam veritati, obscuris quoque verbis et ambiguis adhibitis; imo iidem sibi invicem saepius aperte obloquuntur, cum alius libertatem ex praescriptione, alius ex privilegio, alius ex facto, alius denique ex vicariatu quodam (*locum tenere*) arcessere, atque generatim saltem et indefinite satagat derivare. Quibus adjiciendum adhuc, quam parum sibi constet imprimis BARTOLVS, veterum JCtorum Princeps, utpote qui in *l. Hostes D. de Capt. et postlim. revers.* licet, *quamlibet Civitatem Italiae Dominum non recognoscere*, indistincte adfirmasset, nihilominus sic differit: "Quidam sunt populi "qui nullo modo obediunt Principi, nec istis Legibus vivunt, et hoc dicunt se fa"cere ex privilegio Imperatoris, ut faciunt Veneti. Namque cum libertatem ipsi ha"bere se dicant, ab Imperio Rom. et privilegio quodammodo precario teneant ab "eo, et posset privilegium illud revocare quando vellet, cum ei liceat mutare voluntatem suam. Unde apparet, Florentinos, sive privilegio expresso, sive tacito, puta praescriptione (nam de *originaria* acquisitione, a *privilegiaria* valde discrepante, JCti silent) perfectam Libertatem fuissent adepti, eadem semper, inque primis ob abusum, aut perfidiam (prouti quoque revera saepe contigit) potuisse privari, neque adeo unquam talem in Tuscia semet exseruisse potestatem civilem, qualem, secundum regulas Juris Gentium, definit HVGO GROTIVS, *de Jur. B. et P.*

Ordo rei, et Confutationis justa atque accurata dispositio nunc exposcunt, ut ad objectionem *pag. XIII.* a *Testimoniis Principum Europae* repetitam, respondeatur.

Respondetur ad argumentum, a Testimoniis Principum Europae.

Principio autem commonendum, jam supra argumentum, quod in tabulis foederum, et aliarum Pactionum, *N. I. in Append.* longa serie enumeratis, latere putant, copiose fuisse discussum. Deinceps ad genuinam et plenam Suprematus agnitionem prorsus requiritur, ut in Tabulis ejusmodi diserte istius mentio injiciatur, vel separata ea de re conventio ineatur. Jam vero agnitio hujus generis expressa nullibi in Documentis, ex adversa parte productis, occurrit; ac nequidem *tacita* exinde colligi potest. Quis enim dixerit, Reges Franciae, aliosque Europae Principes, jura Imperii in Regnum Italiae, speciatimque Hetruriam ignorasse? Certe Ludovicus XII. ista nunquam in dubium vocavit, vel, Florentinos perfecta Juris Gentium Libertate pollere, existimavit; quae videtur innuere BODINVS, Gallicus Scriptor, *L. I. de Republ. C. 9. n. 122. et 125.* Atque consequeretur, perversa satis ratione, Reges eosdem Galliae, vel alios, qui saepius cum Principibus Germaniae foedera pepegere, aliaque maximi ponderis negotia tractarunt, hosce illico supremos et a jurisdictione

Imperii

Imperii liberos censuisse. Neque obstat, quod dudum Legati Florentinorum in Aulis summorum Regum iisdem ferme honoribus adsecti, quibus Missi liberarum gentium condecorati solent. Nam praeterquam quod exteri Principes olim tantam Florentinae Civitatis rationem vix habuerint, quantam hodie post constitutum Principatum Mediceum: ita quoque compertum est, Legatos Hetruriae adhuc sollicite a Regiis distingui, imo iisdem praerogativis Sabaudiae aliorumque Italiae Ducum (de quorum feudali nexu nemo ambigit) Oratores in Gallia, Hispania, et alibi quoque frui. Id quod praecipue animadvertit prudentiae Civilis peritissimus Scriptor, CAESARINVS FVRSTENERIVS, *de Jure Suprematus, Cap. L. et LI.* ex instituto docens, quam caute in Aulis, jam memoratis, Ducatus Italiae, Imperii Supremae potestati obnoxii, a liberis Europae Rebuspublicis, v. c. Venetorum, discernantur, utpote quarum Legatis majora longe, v. c. publici introitus, tegendi caput, etc. jura ibidem conceduntur. Etsi vero concederetur, cunctos Europae Principes publica et vera testimonia de Suprematu quodam Florentino pridem edixisse, tamen inde nil jacturae vel damni juribus Imperii manifestis conciliari debet; quandoquidem plura vel ignorantiae, vel sub et obreptionis (cujus rei insigne monumentum idem FVRSTENERIVS, *loc. cit. Cap. XV.* exponit) subsidio haud raro obtineantur, quae, errore detecto, iisque, quae circumstant, probe cognitis atque exacte ponderatis, praesertim si occasio idonea adsit, revocare, aut immutare, nihil prorsus vetat.

Redarguitur argumentum a Testimoniis Imperatorum. Vindicantur facta Henrici VII.

Hucusque apparet, identidem frustra praesidium Libertatis Florentinae in *Testimoniis Principum Europae*, quae appellantur collocari. Jam igitur indagandum, quid de *Testimoniis Imperatorum*, quorum facta *pag. XIV. XV. et seqq.* expenduntur, judicii sit ferendum, ac utrum hinc Libertas ista probata dari queat? Primum vero ex factis Henrici VII. Imperatoris, insignem probationem dimanare, quum existimetur, nequicquam ingenio concipi potest, quomodo is testimonium Libertatis pronuntiarit, qui jura Imperii in Tusciam gravissime vindicavit. Praeterea, si ipsa illa sobrie considerentur, nil prorsus eadem evincere merito censentur. Etenim Imperatores Romano-Teutonici, suum Italiae Regnum ingressuri, consueverant omnes Imperii Civitates, literis ad singulas scriptis electionis atque adventus Regii reddere certiores, sic, ut eaedem non solum, Legatis missis, Coronationi Mediolanensi applauderent, sed iisdem munera debita offerrent, atque Regi, Romam coronationis Imperialis causa proficiscenti, atque plurimis copiis militaribus stipato, adsisterent. Igitur, si forte Caesar Florentinos ad securum transitum praebendum verbis benignioribus compellarit, hinc non consequitur illico, illum veluti efflagitare concessionem debuisse, vel cum ipsis tanquam paribus, quos amicitiae solum vinculum conjungit, egisse, vel istos jure potuisse denegare. Certe Henricum VII. antequam tantae moverentur turbae, tam conditionem civitatis Florentinae insigniter perspectam habuisse, quam eidem quoque, si obsequerentur, egregia beneficia destinasse, memorat ipse VILLANAS, *L. IX. C. 7. p. 383.* cujus imprimis haec verba notanda; " di quella città (Firenze) farè sua " Camera, e la migliore di suo imperio. Praeterea Florentinos, simulac Regii fama adventus ad ipsos pervenisset, officii sui non immemores, elegisse, quos Caesari obviam mitterent, fatetur BORGHINIVS, alioquin hypothesi suae indulgens, *P. II. Discors. se Firenze ricompero la libertà da Ridolfo Imparadore?* At, postquam Imperator cives, expulsos, inter quos praesertim eminuit *Dans Aligherius*, in tutelam et patrocinium cooptasse intelligeretur, adeo consilium Florentini mutaverant, ut non solum foedus cum vicinis conficerent, sed etiamsi ratione tam incongrua ac indigna ad literas Henrici respondere erubescerent omni tum reverentia velut excuti, ac spiritu Guelphicae Factionis maligno agitari, itemque invidiae vitio abrepti. De quo differunt PTOLOMAEVS LVCENSIS, *in Vita Clementis V. p. 40.* ac praecipue NICOLAVS, Episcopus Botrontinensis, Scriptor fide dignissimus et coaevus, in *Relat. Itiner. Henrici VII. Imp.* quam inseruit BALVZIVS *T. II. Vitar. Pap. Avenionens:* unde omnium optime perspicitur, quam callida et impia tum extiterint Florentinorum consilia, quae omnino summa in pericula urbem adduxissent, nisi Imperator adeo mature vita fuisset defunctus. Quae quidem cuncta si candide ac diligenter aestimarent, qui praeconceptam de Suprematu quodam Florentino opinionem pertinaciter fovent, vix amplius summa imis miscerent, vel iis jus perfectae Libertatis adserent, qui illegitime eam adfectantes, legitimo Domino, contra jus et fas, toties adversati fuisse deprehenduntur.

Neque vero Caroli IV. Imperatoris, facta, quae jam, instar *Testimoniorum Imperialium, p. XV. usque ad XIX.* enarrantur, causam Libertatis Florentinae quicquam adjuvant; quin potius imbecillitatem argumenti, inde desumti, eximie produnt, praesertim sicubi ista conjungantur, quae, sagaciter praeterita, indagare hic ac exponere, operae pretium videtur. Enimvero Caesar ille, principio statim regiminis, Florentinos cives severe cohortatus, ut, si privilegia servare et incolumes permanere vellent, nihil adversus Imperii dominium supremum machinarentur, et *ab omnibus novitatibus et rebellionibus* abstinerent. Quorsum pertinet Epistola ejusdem Imperatoris, quam una cum Florentinorum Responso excusatorio in Bibliotheca Augusta Vindobonensi reconditam esse, pridem animadvertit LAMBECIUS, *L. II. Comment. de Bibliothec. Vindob. C. 8. n. 59. n. 939.* Post haec JACOBVS PHILIPPVS BERGOMAS, *L. XIII. Repercuss. Histor. p. 341.* quum de Caesare, Pisas profecto, commemorat, minime icti cujusdam inter Florentinos ac Senenses, utpote qui, secundum CORTVSIOS, *de Novit. Paduae, L. XI. C. 1. et 2.* certissimo subjectionis indicio, claves portarum potius sponte obtulerunt, meminit foederis, sed ita disserit: "Carolus IV. in Italiam descen-" dens, etc. Pisas accessit, atque ibidem legatos totius Etruriae obvios habuit, qui di-" cerent, se paratos fore ipsius mandatis obtemperare, etc. Quibus optime gestis in" Germaniam rediit. Neque, quod ejusmodi submissionem Florentinam attinet, dissentit AMMIRATVS, utpote qui istam sequentibus verbis significanter expressit: "Pro-" fessono, se, e il loro commune liberamente à Cesare come a loro Sovrano Signore" e Padrone. Praeterea contextus *Compositionis*, tum peractae, quem, ex eodem AMMIRATO, itemque PAVLO TRONCIO, Scriptoribus Florentinis, (quos inter huic plus fidei est tribuendum, cum literas Caroli IV. ipsemet legerit) decerptum, continet *Appendix* sub *Lit. H.* praeclare evincit, quantum Carolus Imperii juribus hic prospexerit, neque immoderatam Libertatem Florentiae indulserit, justa proportione et aequalitate inter Tusciae Civitates utcunque constituta. Certe MATTHAEVS VILLANIVS ad quem praecipue provocatur, diserte fatetur, Florentinos *privilegiis* a Caesare fuisse instructos; quod quidem maxime accipiendum de confirmatione, qualem etiam more consueto, obtinuere Pisani, Senenses, aliique. Ac BLONDVS neutiquam perhibet diserte, pecuniae tantam vim fuisse tum insitam, ut eadem ad plenae Libertatis jus Florentinis relinquendum, vel concedendum mentem Augusti adduxerit, saltem innuens, majoris longe et arctioris subjectionis atque obsequii promissionem potuisse conciliari, si rigorem magis juris adhibere, quam gratiae vinculo obstringere subditos, Principi placuisset.

Neque vero testimonium plenae et absolutae, quae vocatur, Libertatis hinc porro elicitur juste, quod Carolus IV. sententias proscriptionis, a Henrico VII. vel alio quocunque Imperatore contra Florentinos promulgatas, irritas declararit. Nam argumentum, quod a Clementis V. facto *pag. XVI.* depromitur, prorsus nil concludit, quum non solum summo Pontifici facultas Edicta Imperialia labefaciendi neutiquam competierit, ac ratio adjecta, Regno Neapolitano, secundum CONRINGIVM, *de Fin. Imp. C. XXII.* et alios, a nexu Imperii ista aetate nondum liberato, efficere nihil potuerit, sed quoque Carolus IV. in Charta absolutionis ejusmodi caussam nullibi praestruxerit. Sicubi Florentina Civitas ab omni seculorum memoria, uti jactant, in suprema Juris Gentium libertate conquievisset, quid opus fuisset tanta reverentia, tamque solemni absolutione, vel declaratione, ingenti numorum numero redimenda? Quapropter liquet, eodem modo Florentiam tum in gratiam Caesaream fuisse receptam, quo aliis Imperii Civitatibus, ob perfidiam, ac debiti obsequii denegationem, aut supremae potestatis contemtum condemnatis, quandoque ignosci solet. Ubi haud praetereundum, juris ferendarum legum renovationi et restitutioni gratiosae memorabilem *clausulam restrictivam* fuisse additam, quam ipse TRONCIVS (unde quidem AMMIRATVS, civibus suis plus saepe, quam par est, addictus, supplendus merito et corrigendus, praesertim quum TRONCIVS literas Carolinas ipsemet perlegerit) his verbis recenset: "Che il commune di Firenze, suo contado, e distretto si" reggesse conforme a gli statuti, con facoltà di poterne compilare degl' altri, non con-" trarii pero alle leggi Imperiali, es' intendessero sempre approvati da S. M. C.

Quamvis vero exploratum sit, id Florentinorum desiderio anxio tandem dedisse Imperatorem, ut, se urbem ipsorum, vel aliud ditionis castrum munitum et muris cinctum haud fore introiturum, promitteret, tamen non illico consequitur, omni

apertu-

aperturae juri, quod ex potestate imperantium suprema dimanat, fuisse renunciatum. Conventio enim, si juste explicetur, forsan tantummodo de eo casu accipienda, sicubi Caesar, armatis quamplurimis circumdatus, quales, praesertim e Teutonica gente lecti, Italis mirificum semper terrorem incutere consuevissent, ingrederetur. Imo nequicquam jus summi imperii perimitur, aut status perfectae Libertatis formatur, quando Princeps Exercitium alicujus juris Majestatici, uti aperturae, Ratione Status jubente, vel alia suadente causa, tantisper dimittit; utpote quod in Germania etiam, tempore imprimis belli, non raro restrictum fuit, atque denegatum; prouti, alios inter Scriptores, STRUVIUS, *C. XII. Syntagm. Jur. Publ. §. 20.* observavit. Ceterum est commonendum, de hoc *compositionis articulo* nihil commemorare, quum reliquos refert, AMMIRATUM, atque TRONICUM, qui totam rem plenius declarat, istum sic consignasse, ut Imperii jus exinde firmari insigniter ac illustrari queat. Verba Historici haec sunt: " Che S. M. si contentasse per Grazia speciale di non entrare in " Firenze ne meno in Terra alcuna murata, del suo distretto, dall' altro canto do- " vessero i Sindachi della Reipublica Fiorentina a nome d' essa far la debita Som- " missione, e rendere obbedienza alla M. S. e riconoscerla per vero Imperatore.

Solutio tributi Carolo IV. facta non fuit personalis.

Ex iis, quae hucusque fuerunt disceptata, abunde quidem possit liquere, perperam a rebus Caroli IV. in Hetruria gestis testimonium Libertatis Florentinae quoddam idoneum extorqueri posse. At, ne confutationis ordo interrumpatur, vel intactum quidpiam relinquatur, dispiciendum est, utrum, quid hic referat, an conventio, de certo censu praebendo, Magistratui Florentino titulo Vicarii Imperialis tribuendo, itemque jurejurando praestando inita, personam Caesaris ejusdem egressa fuerit, sive minus? Jam vero nihil interesse, exinde merito conjicitur, cum sufficiat, Florentiam, ad censum annuum sic obligatam, agnovisse summum Imperii Romano-Germanici dominium. Neque existimandum est, obligatione post mortem Caroli IV. secundum Compositionis literarum veluti exstincta, Florentinos immunitatem a tributis fuisse consequutos. Nam Caesar vix poterat jura Imperii sine consensu Statuum Teutonicorum imminuere, vel prorsus resignare, neque in Regno electitio, Jure Gentium manifesto, Successores indistincte obstringuntur, praesertim, sicubi de praejudicio quodam vel alienatione juris agatur, censente GROTIO, *L. II. C. 14. §. 11. seq.* Quod intellexere satis Imperatores Romani, post Carolum IV. ad dignitatis Imperialis fastigium evecti, quod censum, jam a Caroli M. aevo dari consuetum, jure potestatis suae a Florentinis exegere, his nequidem ad pactionem, cum Carolo IV. initam, provocare ausis; cujus rei exempla infra recensentur. Quapropter duo hic commisceri videntur, quae probe separanda. Nam eousque forsan promissio personam haud transiit, quousque summam 100000. florenorum aureorum fuit complexa. At nihilominus facultas exigendi veterem censum 4000. florenorum, a Carolo M. singulari privilegio constitutum atque restrictum, perstitit intemerata; praesertim quum verba *durante sua vita*, majoris roboris gratia fuerint potius adjecta, neque adeo exclusionem quandam successorum illico innuant, utpote ad quam expressa et significantia utique requiruntur verba, hic penitus deficientia. Plane remissio census in perpetuum valitura, a Principe facta, minus verbis aequivocis et ambiguis constituitur, sed successorum diserte mentio fieri debet, sic, ut hi de concessione immunitatis semper agnoscenda veluti commoneantur, ac ii, qui libertatem hujusmodi obtinuere, liberi et immunes utcunque pronuncientur. Neque licet concedatur, successores obstrictos esse, a remissione tributorum ad perfectam libertatis et exemtionis dationem illico concludere, fas est, prouti demonstrat KLOCKIUS *de Contribut. C. XVI. Sect. 1, n. 21.* Mirandum vero est, *p. XVII.* existimari, pecuniam tum a Florentinis nomine jurisdictionis minime, sed potius ob alias causas fuisse extortam, quae, Jure Gentium, libertati et majestati nil adferant detrimenti. Etenim certissimum est, Caesarem, censum a Florentinis exigentem, nullo alio fundamento fuisse suffultum, quam jure Imperii, in Etruriam pridem quaesito; viceversa autem Florentinos ideo 100000. florenorum solvisse, ut, tam ab obligatione residui, tributorum et aliarum praestationum nomine Imperio debiti, semet liberarent, quam, sententiis proscriptionis, antea pronunciatis, rescissis, gratiae Cesareae iterum participes redderentur, adeoque census annui promissione renovata, id peregisse, quod subjectionis et obedientiae natura omnino exposcebat. Ita enim verba *Compositionis Pisanae*, apud AMMIRATUM ibi; *per compensatione di censo*, it. TRONCIUM; *in recognitioni di censo.*

Praete-

Praeterea; quod *cit. pag. XVII.* circa Vicarii Imperialis titulum, Magiſtratui Florentino, quem contulit Carolus IV. movetur dubii, facile diſſolvitur, ſicubi verba TRONCII probe expendantur: " Chei Priori delle Arti, et il Gonfalonieri, che ſono, " e che per i tempi ſaranno, doveſſero eſſere perpetui ſvoi Vicarii Imperiali. Quapropter liquet, AMMIRATO fidem haud eſſe habendam, cum adjicit; *il tempo della ſua vita.* Verum, utcunque res ſeſe habeat, nil intereſt, quoniam fortioribus longe argumentis jus Imperii ſuſtineatur, ſic, ut operae pretium haud ſit, indagare, an Magiſtratus Florentinus unquam titulo iſto fuerit uſus.

Deinceps *ead. pag. XVII.* perperam cenſetur, jusjurandum, Carolo, Imperatori, praeſtitum, tum fuiſſe perſonale, tum ad ea reſtrictum, quae in concordia continebantur. Nam formula Sacramenti figmentum abunde redarguit, quam recenſet AMMIRATVS, alii, atque, in dubio jurisjurandi vim ad omnes ejus Succeſſores, cui praeſtatur, tranſire, Jure Gentium ac Publico conſtitutum eſt. Neque ulla apparet ratio, cur Imperator debuiſſet recedere hic a formula jurisjurandi, in Italiae Regno pridem recepta; de qua inprimis SIGONIVS, L. VII. *poſt A. 973. f. 176.* OTTO FRISINGENSIS, et RADEVICUS. Praeterea, quid ſibi velit hic *Sacramentum Concordiae,* nondum oſtenſum fuit a PETRO BVONINSEGNIO, *L. III. pag. 436.* Etenim opus eſt, ut utrinque juretur; prouti quoque in materia foederum fieri aliquando ſolet. Neque actu iterato, ab Antonio Adimaro, et Joanne Mediceo nomine civitatis, poſt reditum Caroli, *jam coronati Imperatoris,* Piſis ſuſcepta, res indiguiſſet, niſi jusjurandum fidelitatis et obedientiae perpetuae fuiſſet praeſtandum, quo referendus eſt AMMIRATUS, *pag. 572. ſeq.* Denique, ſi, ex ipſa adverſae partis concluſione, jusjurandum ad ea omnino referri debebat, quae in concordia continebantur; conſequitur, idem ad *ſummisſionem, obedientiam, recognitionem,* ibi ſancte promiſſam, referri debere.

Jusjurandum, a Florentino populo Carolo IV. praeſtitum, non perſonale habendum.

Verum ſupereſt adhuc, ut ea, quae *p. XVIII.* pro diluendo Caroli IV. Imp. facto propoſita, itidem refellantur. Enim vero non ſatis conſtat, an proteſtatio ejusmodi, qualis hic narratur, unquam fuerit interpoſita. Neque Florentinorum Hiſtoricorum teſtimonium omni eſt majus exceptione, utpote qui plerumque, amore patriae commoti, ſuavia commenta prodidere, vel, res Imperatorum, in Hetruria geſtas delineantes, Florentinorum ſubjectionem ſilentio praeterierunt. Quin compertum eſt, proteſtationem, facto contrariam, nihil operari. Certe omnes, rerum periti, ſatis intelligent, quantopere Carolus IV. jura Imperii in Florentinam civitatem vindicarit; quicquid, ex contraria parte, Conventionis Piſanae Tabulae, et alia, quae eo tempore celebrata, ſiniſtram patiantur interpretationem. Etſi enim, quod pariter urgetur, Florentini Carolo IV. jubenti, ut inſimul adverſus Bernabonem, Mediolani Vice-Comitem, arma arriperent, minus initio obtemperarint; tamen, poenam majorem ſubmiſſe deprecati, mulcta haud exigua fuere affecti; teſtimonio NAVCLERI, *in Chronograph. Generat. XLVI. p. 258.* POGGII BRACCIOL. *L. I. Hiſtor. popul. Flor. p. 35.* et AMMIRATI, *p. 666.* An vero id extollendum adeo magnifice, quod Imperatorem, Romam proficiſcentem, 200. equitibus comitati fuerint cives Florentini? Sane quaelibet civitas Italiae, ſubdita Imperio, Caeſaris iter Romanum inſtruere debuit, neque hinc unquam Florentina fuit exemta. Quis unquam ſibi habuerit perſuaſum, Imperatorem Florentinis ſalutem ſuam et incolumitatem commendaſſe, et, depoſitis propriis, ſuſceptisque illorum ſignis, Italiam commeaſſe? Romam enim ingreſſum fuiſſe Caeſarem, 5000. armatis munitum, teſtantur PETRVS de ANDLO, *de Imper. Rom. L. II. C. 6.* ALBERTVS ARGENTIN. *Chron. p. 163.* PETRARCHA, *Oper. p. 590.* Ac foedus, cujus memoria *pag. XIX.* revocatur, magis e facinore quodam turpiſſimo originem ducit ſuam, quam in defendenda libertate Florentina conſpirat. Ipſe Gregorius XI. ſummus Pontifex, dum Caroli IV. Imp. auxilium implorat, in literis, quas BALVZIVS, e Bibliotheca Colbertina, *Collectioni act. ad vitas Paparum Avenionens. Tom. II. n. 184. p. 804.* inſeruit, Florentinos *proprios Imperii ſubditos,* appellat. Quin Imperator idem a Scriptore inedito, ſed coaevo et Italo, ad comprimendos *in Etruria rebelles* invitatus fuit, *Sponſi atque naturalis Domini Italiae* addito elogio. Quod quidem ſcriptum in *Bibliotheca Auguſta Vindobonenſi* reconditum eſt, ſummo in pretio habendum, pariter ac *Deſignatio,* apud DATTIVM, unde notitia Ligae ſive foederis, contra *Dominum noſtrum* (Caeſarem) percipitur, quale Imperii auctoritatem evellere nuſquam potuit, cum perfidia, ab ipſo Summo Pontifice gra-

Exploditur commentum, de facta proteſtatione, ac jus Imperii variis Caroli IV. firmatur rebus geſtis.

Teſtimonium Gregorii XI. Pontificis Max. de Subjectione Florentinorum.

viter improbata, exemtionem aegre pariat, ac vinculum societatis quoque sub Ruperto, Imperatore, mox fuerit rescissum; qua de re AMMIRATVS, *L. IV. p. 740. 754.* ubi de legatione ad Venceslaum, Imp. missa. Cur ergo in perversum adeo et a veritatis via regia aberrantem sensum facta Carol. IV. Imp. detorqueant nunc defensores Libertatis Florentinae, forte non ignorantes, ipsum a 1364. Petrum Episcopum Florentinum, Principem Imperii creasse, Academiam Florentinam, variis privilegiis, auctoritate Imperiali, ornatam, confirmasse, judicem in Tuscia supremum constituisse, de receptione appellationum, nomine Imperatorum perficienda, disposuisse, itemque Leonem X. e Medicea Domo Pontificem, ann. 1515. harum Constitutionum Carolinarum quasdam repetiisse et approbasse? *Diplomata* exhibentur infra sub *Litt. I, K, L.*

Facta Ruperti, Imperatoris, pro jure Imperii, recensentur, soluti dubiis.

Factis Caroli IV. Imp. discussis, et ab omni dubio, quod jus Imperii infringere, vel implicare videretur, liberatis, itidem est demonstrandum, res gestas Ruperti, Imperatoris, longe testari magis de jure eodem, quam de Libertate Civitatis Florentinae. Plane Rupertum Florentinis, tanquam subditis S. Romani Imperii, electionem suam denuntiasse, abunde comprobant ipsorum *literae*, quibus Caesari, prouti decet, responderunt, apud MARTENEVM, *in Thesauro Nov. Anecdot. pag. 1636.* itemque MISSIVA *Florentinis destinata dict. loc. p. 1653.* ibi; *Fideles;* iterum alia Epistola, *pag. 1663.* ibi; *civitatis nostrae Florentinae, nostris et Sacri Imperii fidelibus et devotis*, etc. Compertum quoque habetur, omnia privilegia, ac possessionem insimul locorum, quae antea occupaverant, fuisse singulari gratia Augusti confirmata, teste Diplomate sub *Lit. M.* ubi haec clausula notabilis addita: „Praesentes quoque literas, sive praesens „privilegium durare volumus toto tempore vitae nostrae, et ad beneplacitum Imperii, et donec per Successores Nostros legitime intrantes expresse et specialiter fuerit revocatum. Praeterea Tabulis conventionis, inter Rupertum et Florentinos initae, quae, ex MARTENEO decerptae, sub *Lit. N.* exhibentur, iste non solum *Dominus noster Rex* diserte nuncupatur, sed quoque hi *Servitores sui fidelissimi* vocantur; quo pertinet POGGIVS, *L. III. p. 140.* Dubium vero, quod adhuc ex tabulis istis dupliciter moveri possit, sive *persona* Imperatoris, privilegium concessuri, sive *annuus census* ejusque quantitas, ibidem minus expressa, respiciantur, tum ex contextu *Diplomatis*, paulo ante memorato, tum exinde haud difficulter enodatur, quum omnino conjiciendum sit, ordinarium centum quatuor mille florenorum fuisse hic tacite indicatum. Neque verbum, *libertas*, iisdem Tabulis comprehensum, temere captandum est. Libertas enim *in Sensu absoluto* minime intelligenda, sed intuitu Galeacii, Mediolanensium Ducis, Florentinae urbis, Imperio immediate subjectae, libertati gravissimas struentis insidias; utpote qui jam alia loca ejusdem conditionis subjugaverat. Id quod perspicue evincunt non solum *Tabularum* verba postrema: „Item, quod Do„minus noster Rex teneatur et debet pro posse delere statum et dominium dicti Co„mitis Virtutum (Galeacii) et cum totis suis viribus persequi, et ipsam civitatem Florentinam, etc. manutenere in libertate sua, statu et donatione, ac etiam posse tenus conservare; sed itidem recensent AMMIRATVS, *L. XVI. p. 884. seq.* BVONINSEGNIVS, *L. IV. p. 763.* GOBELINVS PERSONA, *in Cosmodrom. Aetat VI C. 70. p. 288.* THEODORICVS a NIEM, *in Exhortatione ad Rupertum*, apud GOLDASTVM, *T. II. Monarch. p. 1383.* alii. Ceterum ex contentione, de persolvendae pecuniae termino exorta, ac justissima Imperatoris indignatione nihil uspiam elicitur, quod Libertati Florentinae, adversus imperii majestatem assertae, inserviat. Quin potius inde liquet, Florentinos nec officio fecisse satis, nec, prouti devotionis exegisset religio, promissis stetisse.

Narrantur facta Friderici IV. Imper. itemque objectiones removentur.

Fridericum III. (qui melius rectiusque IV. adpellatur) in Italiam capessendae coronae gratia profectum, a Florentinis civibus amplissimis honoribus fuisse affectum, equidem *pag. XX. in fin.* conceditur. At simul insignis AENEAE SYLVII, Scriptoris coaevi, pariter ac gravissimi, locus *Histor. Frider. p. 91.* callide nimis praetermittitur, ubi commemoratur, Imperatorem, coronatione Romae peracta, ibidem ut *Imperatorem* et *Dominum* fuisse exceptum. Neque objectio, a *literis salvi Conductus pag. XXI.* repetita, Florentinae Libertatis causam adjuvat, quum non solum Florentini ipsimet, teste eodem SYLVIO *p. 63.* urbem suam *civitatem Imperio devotam* appellent, sed quoque jure conducendi Regali Status Imperii atque Civitates adeo Germanorum immediate utantur, sic, ut olim Electores, si eligendi Imperatoris causa convenerint, salvum conductum ab iis efflagitare debuerint, quorum territoria erant permeanda, teste

SIRV-

STRVVIO, *Syntagm. J. P. C. VII. §. 12. et XXVI. 71.* Igitur locus ALBERICI GENTILIS, qui de Jure Gentium et gentibus prorsus liberis loquitur, hic frustra applicatur. Imperator etiam, quod apprime notandum, Florentinos, ut publicam praeberent in itinere securitatem, litteris nullibi commonuit; sed omnia haec curae ac Studio Summi Pontificis reliquit. Quare ex literis Imperatoris, sub *N.* VI. adductis, nihil prorsus elicitur, quod comprobet; istum jus perfectae Libertatis Florentinae agnovisse. Gratias potius, prouti saepius Summi Principes erga subditos consueverunt, ideo agit, et, se civitatis ejusque salutis memorem fore, benignissime spondet, quod obsequii sui expleverint rationem, exemplum aliarum Imperii in Italia civitatum lubenter imitati, utpute quibus a pluribus jam seculis id officii incubuisset, ut Caesarem, Romam adeuntem, comitarentur, portas urbium ubique aperirent, hospitium, mansionaticum et fodrum praeberent, atque itineris incommoda quocumque modo sublevarent, uti jam supra fuit demonstratum. Quo autem omnis prorsus scrupulus eximatur, adhuc proferre jubet, quae de literis istis salvi conductus perhibet SYLVIVS, "*p. 90.* ibi; " placuit Aeneam Episcopum atque Vlricum Redier ad Florentiam an-" tecedere, qui litteras publicae fidei innovari peterent; (nam quod fama ferret, " Caesarem Alfonso, Arragoniae Regi, Florentinorum inimico, Vicariatum Etruriae " concessisse, verebantur, ne alienati ab eo essent civium animi) illumque petitiooi " colorem praebereot, quia salvos conductus sub nomine Regio datus oon videretur " ad Imperatorem extendi; jam vero Imperatorem ex Rege factum mutari, litteras " oportere. Ea res satis insolens Florentinis visa, qui nomen imperatorium non vim " litteris ademisse, sed adjecisse robur ajebant, tumque maxime obnoxios Imperatori " Florentinos cum Romae coronam accepisset, dolere se, tantum aemulos suos po-" tuisse, ut fidem Florentinam Caesari dubiam redderent etc. Quocum conveniunt ANTONIVS, Archi-Episcopus eo tempore Florentinus, in *Histor. MS.* AMMIRATVS, *Part. II. L. 22. p. 69. seq.* MACHIAVELLVS, *in Histor. Florent.* Neque vero ullam prope confutationem meretur, si Florentini idcirco a civitatibus, Imperio subjectis, segregari velint, quod Fridericus ad Conventum, Francofurti ad Moenum, mense Octobr. ann. 1454. (nequicquam Ratisbonnae, vel 1444.) institutum, Florentinos saltem *vocaverit*, Principes vero urbesque Imperii *jusserit* accedere. Enim vero inter istos, quos *vocatos* scribit AENEAS SYLVIVS, non reperiuntur. Solummodo Florentini, sed itidem Januenses, Senenses, Lucani, quos Imperii jurisdictioni potestatique tum fuisse obnoxios, prorsus expeditum est et nunquam ab aliquo negatum. Igitur saltem Italos a Germanis AENEAS ideo discernere merito intelligitur, quod ii, jure Civitatis Teutonicae minus instructi, ad Statuum Imperii numerum haud pertinerent, et proinde speciatim ad Comitia Imperii Germanici (a *Concilio* quodam, proprie sic dicto, valde diversa) invitandi essent. Quin idem AENEAS Italici Regni Proceres ac civitates satis caute, postquam dixisset: " videbimus quantus erit nostrorum Italorum fervor; a Regibus et Principibus Europae supremis separat, ibi; *Regibus quoque Franciae,* etc. *literae dantur* etc. Ac quid demum frequentius formula: *Ordines, Subditos, ad Comitia,* etc. convocare?

Vindicantur facta Caroli V. Imp. pro juribus Imperii. Refellitur argumentum ex Documento sub N. VII.

Posteaquam argumenta, hucusque ex parte adversa infelici valde successu congesta, satis copiose fuerunt discussa, ac ea, quae Libertatem Florentinam probare debebant, prorsus eversa, ordo rei postulat, ut jam demonstretur quoque, ex Annalibus et Diplomatibus Caroli V. tantum nihil solidi validique pro suprematu imaginario derivari, et produci, ut potius exinde jura Imperii maximum declarari, instrui, et penitus omnem extra dubitationem in conspectu universi terrarum Orbis collocari queant. Siquidem enim Documentum *sub N.* VII. *ex Archivo Palatii Florentini* depromtum, vel paulisper saltem consideretur, apparet, nihil aliud ibidem contineri, quam confirmationem cujusdam *Schedulae*, qua Carolus V. se Florentinorum privilegia sarta tectaque conservaturum fore, itemque civitatem tuiturum, summo Pontifici, Leoni X. pollicetur. At quid promissio ejusmodi, ac subsequuta ratihabitio, publico Instrumento facta, ad eruendam Florentinae civitatis Libertatem? Praeterquam enim quod privilegiorum concessio certissimum summae potestatis civilis praebeat argumentum, itemque confirmatio eorundem facultatem superiorem coarguat, quum inauditum sit, liberam gentem ab altera privilegia et jura efflagitare, quae ad statum proprii territorii formandum atque instruendum pertinere intelligantur; facili itidem negotio perspicitur, promissionem, licet eadem fuerit iterata atque recognitio expressa

accesse-

accesserit, nunquam effectum fuisse sortitam. Quando enim privilegia Florentinis confirmata, et quo Diplomate Civitas, Terrae, Castra, oppida, etc. a potestate Imperii ac jurisdictione liberata? Certe quidem jus Imperii abunde his quoque verbis *Chartae*, de liberatione et exemtione conceptis, indicatur et supponitur; "in quibus "Imperium seu Imperator jus aliquod forsan haberet, etc. liberaremus. Verum, exemtionem hujusmodi obtinuisse Florentinos, quorum praecipuae tem publicam tum quoque dirigebant jam Medicei, nusquam probatur. Enimvero quum Leone X. Summo Pontifice, e Domo Medicea, ann. 1521. vita defuncto, quoeum Carolus V. adversus Gallos arctum contraxerat amicitiam, ac Hadriano, Vltrajectino, suffecto, parum amplius de Florentinis solicitus esset Caesar, nihilominus ii omni opera eo contenderunt, ut, excitantibus imprimis Mediceis, gratiam illius captarent, ac civitati quavis ratione prospicerent. Sed consilia eorum irrita prorsus et inania fuere, sic, ut iidem, qui ad tantam libertatem capessendam adspirabant, paulo post, graviter coërciti domitique, regiminis forma immutata, ejusdem Domus Mediceae gubernationi, hucusque acriter declinatae, subjicerentur. Promissionem igitur, de confirmandis Civitatis Florentinae privilegiis, itemque de liberanda ista a jure Imperii peractam, temere hic urgeri, non tantum ex iis, quae jam disceptara, evidenter liquet; sed *confirmationis* ipsius verba subsequentia etiam magis adhuc evincunt, quo animo indulserit eandem Imperator, et quam inaniter Libertatis Florentinae testimonium quoddam hinc exquiratur; ibi; " Majestati Caesaris hactenus fidelissimam, it. dictum "Dominium Florentinum in nostra devotione permansit et permanet. Neque, etsi ejusmodi testimonium ab Imperatore *pure* fuisset editum, hoc supremo dominio Imperii quidpiam dettaheret, utpote de cujus juribus alienandis, vel aliis negotiis arduis et maximi momenti, haud Bruxellis, vel Vallisoleti, sed in Germania, consilio Ordinum Imperii legitime adhibito, causaque exacte cognita, tractari concludique pridem consuevit. Si vero ratio haud sequuti complementi bine sit arcessenda, quod Clemens VI', e Gente Medicea, Imperatori adversaretur, sive aliunde petenda, nihil attinet, quum sufficiat, demonstrasse, in Documento adducto praesidium Libertatis Florentinae aliquod frustra collocari.

Confessio quaedam Imperialis ex Epistola Caroli V. perperam colligitur.

Neque autem Imperialis confessionis, ad quam porro pag. XXII. provocatur, quidpiam amplius ex Epistola, ad Clementem VII. ann. 1526. perscripta, et GOLDASTI *Constit. Imp. Tom. III. p. 81. seq.* inserta, poterit derivari. Caesar ibidem Florentinam civitatem a reliquis Italiae, Imperio subjectis, nequaquam secernit. Licet enim *excelsa Respublica Dominorum Florentinorum* memoretur, nemo tamen, paululum prudens, illico, hac formula adductus, censuerit, istam liberam et ab omni Imperii nexu immunem Carolum V. judicasse. Certe Senensium civitas eodem loco aliquoties *Reipublicae* nomine cohonestatur; quam tamen "Imperiali ditioni subjectam, et supra "alias omnes Italiae civitates adeo ab omni aevo Sacro Imp. addictam, illiusque de"votioni affectam, ut nil supra desiderari queat, diserte Caesar *pag. 95.* profitetur. Deinde quum idem Augustus, jurium Imperialium in Italia strenuus defensor assertorque, *eod. loc.* causam vinculi atque subjectionis Civitatis Senensis praesertim in eo "constituat, quod habeat illa ab ipso Sacro Imperio Nostrisque praedecessoribus am"plissima privilegia etiam per nos confirmata; non aliter sane de statu Florentiae potuit judicare; utpote quae non solum confirmationem privilegiorum suorum a Maximiliano I. Caroli V. avo, paulo ante obtinuerat, teste ipso GVICCIARDINO, *Hist. L. IIX. ad ann. 1509.* sed eandem quoque, intercedente Medicea Domo, a Carolo summisse efflagitarat. Neque est praetereundum, ipsum Caesarem *p. 81.* publice profiteri, foedus, cum Leone X. percussum, unde quidem praecipuum hucusque testimonium Carolinum arcessunt defensores Libertatis Florentinae, non aliam ob causam fuisse initum, et arma in Liguria et Insubria arrepta, quam pro Sedis Apostolicae, *Sacrique Imperii juribus ac dignitatibus tuendis.* Quinimo duo summi Pontifices, e Mediceorum stirpe, nusquam illa, sicubi Florentia spectetur, in dubium revocarunt; quicquid ceteroqui de Parma, Placentia aliisque, litem Caesari movere conarentur; de quo quidem ausu in *cit. Epistola* hic gravissime conquestus.

Diluitur factum quoddam Caroli V.

Sed quid praeterea de facto Caroli V. GVICCIARDINO, *L. XVIII.* enarrato, sentiendum? Equidem, sicubi exactius diluatur, non prorsus liquet, utrum quoque Legati Florentini custodiae fuerint traditi. Nam ex HEVTERO, *L. X. C. 1.* HARAEO, *Annal. Ducum Brabant. ad ann. 1528.* BELCARIO. *rer. Gall. Comment. L. XIX.* saltem intelli-

intelligitur, Regis Franciae, Ducis Mediolanensis, ac Venetorum legatis id facti, nulla habita distinctione, contigisse. Causa enim, quae Imperatorem ad legatos detinendos compulerat, ad Florentinos nil pertinebat, utpote quos cum itidem adversus Oratores Caesareos, vel alios in Italia commorantes Ministros, aperte quid fuisse machinatos, non constat. Et quid si, secundum GVICCIARDINVM, legatus Mediolanensis, *tanquam Subditus*, ex Aula non fuisset dimissus; atque aliter, quum Florentinorum, retentus, non illico suprematus cujusdam agnitio inde elicitur, quum Caesar, Duci Mediolanensi ejusque legato cur imprimis irasceretur, sat praegnantes causas haberet. Quibus accedit, quod idem legatus Sfortiae una cum ceteris Bajonae iterum fuerit dimissus, neque adeo hujusmodi singularis modus, qualem GVICCIARDINVS ex suo magis ingenio effinxit, observatus.

Itaque facillime jam cognoscitur, omnia Imperatorum Romano-Germanicorum, atque praesertim Caroli V. facta, quae, ante constitutionem Principatus Medicei de Libertate Florentinae Civitatis testari, ex parte contraria existimantur, ita comparata esse, ut non solum veritatem Subordinationis Hetruscae certissimam, animis tot Potentissimorum Europae Principum, eorumque, qui publicae saluti sincere student, neque jura Imperii in Hetruriam vetustissima optimaque ignorant, pridem insitam, evellere nequaquam possint, sed itidem abunde ostendant, quam lubrico fundamento commentum, temere excogitatum, sit superstructum. Plane tantus Diplomatum et Documentorum, quae, ex Archivis passim desumta, caussam Imperii prorsus declarant, et omnem Suprematum Florentinum palam redarguunt, et infringunt, apparatus adest, ut valde sit mirandum, quomodo *pag. XXIII.* contendi possit, in irritum recidisse omnes labores, excutiendis Tabulariis, ac erudiendis pervestigandisque monumentis antiquis impensos. Quae quidem egregia Diplomata, in fine adjecta, etsi ad evincendum Imperii jus, sola penitus sufficiant, Scriptorum Florentinorum testimoniis tot genuinis et manifestis aliisque praeclaris adminiculis conjuncta, omnem controversiam tollunt, neque disceptationi locum amplius relinquunt.

Defectus quidam Documentorum juribus Imperii temere objicitur.

Quemadmodum vero, priusquam Principatus Mediceus fundaretur, nulla Libertatis cujusdam Florentinae atque exemtionis apparuerunt vestigia; ita Carolus V. illo constituto, potestatem Imperialem in Hetruria magis adhuc corroboravit, atque possessionis antiquissimae, et per tot secula continuatae, qualitatem novis documentis declaravit. Quae quidem si pro dignitate ponderentur, adeo eminent, ut perfectissimam tum juris Imperialis probationem iisdem contineri, tum, etiamsi ante hac in praescripta quadam ac usurpata exemtionis possessione Florentini fuissent constituti, interruptam istam fuisse et sublatam, merito censeatur. Jam vero, cum tres diversae veluti personae Carolo V. *pag. XXIV.* affinguntur, atque ab omnibus, quae Augustus tam gloriose in Hetruria gessit, et felicissime perfecit, auctoritas potestasque Imperialis excluditur, aliis titulis et nominibus simulatis et peregrinis longe suppositis; Argumenti imprimis ac instituti exposcit indoles, ut solide ostendatur, quantopere Florentinae Libertatis assertores decipiantur; utpote quos, dum Orbi Europaeo tam mirifica dogmatum portenda obtrudunt, ipsa ea Diplomata et Annalium monumenta ad quae provocant, gravissime reprehendunt.

Res Caroli V. in Etruria circa constitutionem Principatus Medicei gestae solae sufficiunt ad jus Imperii evincendum.

Quapropter 1.) disquirendum est, utrum Carolus V. in compescenda urbe Florentina, et Medicea Familia, hinc paulo ante ejecta, restituenda, personam Principis tantum gesserit Foederati? Equidem *pag. XXV.* pro sustinendo hoc officii genere, excitatur *Foedus Barcinonense*, d. 29. Jun. 1529. Caesarem inter ac summum Pontificem Clementem VII. initum; atque ibidem nihil de juribus Imperii vindicandis, sed tantummodo de restitutione Familiae Mediceae, auxilio Caesaris procurando, perhiberi, magnifice statuitur. Sed, praeterquam quod nemo, vel paululum prudentiae civilis et rei Historicae gnarus, persuasum sibi unquam habere possit, Carolum V. jurium suorum retinentissimum Principem, et vindicem majestatis acerrimum, Florentinam civitatem, quae per integra septem secula sub dominatione Imperatorum et Regum Italiae, quin Avi adhuc et proximi Antecessoris, Maximiliani I. continuo ferme floruisset, nunc demum prorsum liberam effecisse, atque veluti emancipasse, idque post bellum sumtuosum ac grave, cum refractariis civibus, pro ipsis Imperii juribus conservandis, ac restituendis Mediceis, clientibus suis, gestum; ita nec scrupulum cuiquam injecerit argumentum, a *foedere Barcinonensi* petitum. Etenim, quamvis de

Demonstratur, Carolo V. incongrue affingi, 1. personam Foederati.

Confutatur

foederis

argumentum, a Foedere Barcinonensi petitum.

foederis existentia et contextu, Script. adverf. *Appendici* fub *N. IIX.* inferto, dubitare haud finant GVICCIARDINVS, *L. XIX. p. 906. feq.* itemque JOVIVS, *L. XXVII.* tamen argumentandi modus ille, qui adhibetur hic in Florentinae Libertatis defensione, penitus nihil concludit; nec juste consequitur: *Carolus, Pontificis e Medicea Gente foederatus, in hujus focii gratiam Mediceos, urbe pulfos, Florentiam reduxit: Ergo ipfe Carolus jus in Florentiam nullum habuit, aut fi quod habuit, perdidit.* Imperatoris non minus quam Pontificis referre videbatur, ut, ftatu Italiae fortiter compofito, alma pax afflictae diu fatis regioni reconciliaretur. Sic enim JACOBVS SALVIATVS *in Epiftola ad Balthafarem, Comitem Caftilionaeum,* Pontificis, in Hifpania Nuntium, *L. II. delle lettere di Principi, p. 154.* differit: "Ha il prefato Reverendiffimo (Cardinale di "fanta Croce) referto la buona difpofitione di fua Maefta (Cefarea) circa all' affettar "le cofe d' Jtalia, la Salute della quale puo V. fig. penfare, che fia la principal cura, che "fua Beat. Labbia. Ne puo fua Maefta far le cofa pui grata, che confervar queft' ani-"mo al ben d' Italia, e publico della Chriftianità; add. *p. 183. feq.* Imo potiffimum intererat Imperatoris, ut cives, criminis laefae majeftatis et feloniae reos, quod hoftibus fefe junxerant, et in Galliae Regis concefferant clientelam, armis mature ad priftina obfequia reduceret; quare, memorante JOVIO, *L. XXVII. Hiftor. p. 190.* coaevo, voluntate Imperatoris, foederi Barcinonenfi diferte adjectum fuit, "ut poftquam Flo-"rentini adverfum Caefarem confifi incertae Gallorum victoriae arma tuliffent, maje-"ftatis rei facti, libertate et antiquis fuperiorum Caefarum conceffis immunitatibus "fevere privarentur, etc. Igitur hinc apparet, in *Foedere Barcinonenfi* tam de Salute Familiae Mediceae, quam de puniendo Florentinorum atrociffimo facinore, adverfus Imperium commiffo, fuiffe actum. Quod itidem ex VARCHIO, Scriptore Florentino, apparet, qui *L. IX. p. 234.* diftincte commemorat ea, quae Cancellarius Imperatoris, hujus mandato, Oratoribus Florentinis, Januae ann. 1529. (foedere Barcinonenfi jam percuffo) omnem obedientiam demiffiffimo cultu nomine civitatis fpondentibus, fevere refpondit, ibi; "Andarano poi a trovare il gran Cancelliere, il quale "afpettava il Capello d' ora in ora, e gli raccomandarano con molte parole; e per "molte ragioni la Città; ma egli affai rigidamente rifpofe loro, quafi Firenze fuffe "Feudo del Imperio, che i Fiorentini, per aver effi mandato le genti loro in aiuto "de Rè di Francia, a Monfignore Lutrec, contra la Maefta dell Imperatore, aveva-"no tutti i loro privilegi antichi perduto, et confequentemente della loro Libertà, "per fi grave eceffo, e mancamento caduti; pur non dimeno, fe fi fottometeffero "alla Sanità del Papa, ch' era pur lor Cittadino, e benemetito della fua Patria, e lo "riceveffono in cafa in quel modo ch' egli era innanzichè nel cacciaffero, fi potrebbe "perdonare all' ingratitudine, e perfidia loro, fenza curarfi, per la umanità, e beni-"gnità dell' Imperadore di gaftigargli, come per la Fellonia commeffa, e per la *ribel-"lione* loro, meritato avevano. Quae verba, a Miniftro Caefareo pronunciata, cum recenfuiffet, ingenue pergit idem VARCHIVS: "Non fi dubita, che quefte parole "veniffero da Roma dalla bocca di Clemente, e fi diceffero con confentimento di Caefare. Quin adjicit; claufiffe Imperatorem Oratoribus ac denegaffe ulteriorem omnem acceffum, cum mandato *conditionem fervandae libertatis* intelligeret infertam; metuiffeque ipfos, ne cuftodiae manciparentur; quo fpectat relatio SLEIDANI, *de ftatu Rel. et Reipubl. fub Carolo V. L. VII. ad ann. 1530.* Quibus conftitutis, illico apparet, Carolum V. non folum tanquam foederatum fummi Pontificis, fed tanquam Imperatorem quoque, Florentinis ob perfidiae delictum juftiffime irafcentem, urbem ac univerfam ipfius ditionem armis oppugnaffe; itemque perfpicitur, proprio nomine, propriisque *copiis ac viribus* cuncta ea fuiffe peracta. Certe ideo Summi Pontificis nomine bellum haud potuit geri cum caufa ejectionis ac *Spoliatorum* (Mediceorum) *reftitutionis* a Caefare effet cognofcenda, atque dirimenda, neque congrueret, ut Clemens VII. auctor in proprio negotio extaret, Florentinae civitati agnatos fuos iterum obtruderet, vel de horum exilio judicaret. Sicubi nullum jus Caefari in Florentiam competiiffet, neque is Mediceorum cauffam tueri legitime valuiffet, quia res publica, quae fumma Juris Gentium libertate pollet, ejiciendi cives, principatum adfectantes, facultate utique eft inftructa, nec a Principe extraneo, qui jurisdictione omni in eandem rempublicam deftitutus, alioqui vero ob expulfionem minime laefus eft, ut cives ejectos recipiat, jufte adigitur. Quomodo igitur copiae, ad evitandum ejus urbis periculum, nec non ob publicam Italiae quietem etiamnum miffae, auxiliares

vocari

vocari possint, atque regula Juris Gentium ex VANDELIO proferri, ad casum praesentem minime applicanda? Ceterum neque ista, quae inter Pontificem Maximum, et Philibertum de Chalon, Arausiensem Principem, Caesarei exercitus ducem, Romae d. 12. Aug. ann. 1529. fuere conventa, movent, quum Pontifex ideo traditionem et consignationem locorum, in ditione Florentina, auspiciis Imperialibus occupandorum, sibimet stipularetur, ut Mediceorum restitutio eo certior esset, integra ubicunque Caesaris suprema potestate; cui identidem parum decessit, quod in *cit. Foedere* de statu Reipublicae Florentinae ad Pontificium arbitrium constituendo aliquid cautum fuerit. Verba enim sic potius explicanda, ut Caesar promiserit, sese arbitrium Papae, ac, ut certa tandem et tranquilla regiminis forma erigeretur, et Mediceis novi Principatus commendaretur gubernatio, petitionem haud fore neglecturum. Plane constitutionem reipublicae ipsam neque Pontifici, nec ulli alii unquam commisit Carolus, vel, ut iste negotio semet immisceret, passus fuit, probe sciens, ejusmodi cessionem majestati Imperii valde refragari, deinde forsan contingere posse, ut Clementis VII. successores jus quoddam, aut dominium directum in ditionem Florentinam sibi adrogarent, nec aequum fore, sicubi Papa, Gente Medicea oriundus, et suam agnatorumque caussam orans, partis simul, advocati, judicis et Commissarii vice ac munere defungeretur; de quo mox plura.

Conventio sine causa producitur.

Argumento, quod ex Foedere Barcinonensi fuerat desumtum, abunde discusso, indagandum II.) est, utrumne Carolus V. Imp. *Amicabilis Compositoris* personam quum Mediceos restitueret, indutus fuisse censendus sit? Sed ea itidem quaestio, quicquid *Amica. pag.* XXVI. XXVII. *et* XXIIX. obmoveatur, neganda esse merito existimatur. Nam licet, deditione civitatis in manus veluti Caesaris ejusque Ministrorum peracta, id insimul fuerit conventum, ut daretur isti potestas formulam futuri regiminis statusque praescribendi, hinc tamen nequaquam consequitur, facultatem a populo Florentino fuisse demandatam, neque potuisse Imperatorem jure proprio eandem exercere. Certe hujusmodi jus demandandi, vel delegandi, nunquam iis juste adscribitur, qui, criminis laesae majestatis, subjectis solummodo, non liberis gentibus proprii, rei judicati, paulo ante idem illud, instar poenitentium maximeque dolentium, fuerant confessi. Sic enim ipsemet AMMIRATUS *L. XXX. pag. 383. J. Florentini*, ait, deli-
" berarono costretti della necessità mandar quattro loro ambasciadori per impetrar
" perdono da sua Maestà (Cesarea) se mer je del passato governo la lor Rep. havea in
" Compagnia degli altri confederati ardito di prender l'infelici arme contra di lei,
" promettendo per l'avvenire di doverle esser amorevoli e obbidienti in tutto quello,
" che fusse lor commandato. Deinceps inauditum prorsus et tantum non ineptum est, officium compositionis amicabilis, vel *mediationis*, adsignari ac tribui ei, qui jus, de refractaria civitate pro arbitrio, et vi supremae potestatis statuendi, justissime sibi vindicat, atque ob perfidiae scelus privationem et ademtionem privilegiorum gravissime comminatur. Nam hic ubivis dominium tam supremum, quam subjectio integra et adaequata, omni Jure adfirmante, requiritur; quum contra mediationis munus, quod usu Gentium pridem invaluit, non nisi liberos inter et nulli mortalium obnoxios populos soleat regulariter exerceri, itemque personam praestruat, mediam inter utramque partem, atque adeo a studio partium remotam, definiente COCCEJO, *P. II. Exercit. Curios. §. 4. et 10.* Jam vero, cum Florentina civitas domesticis turbis civiumque dissensionibus agitata, ac illae ab Imperatore partim armis, partim Decretis atque Edictis sive Mandatis compositae, bellum inter liberos populos gestum haud fuit, cui tertius quidam transigendo placide interveniret. Neque Juris Gentium et civilis prudentiae ratio permittit, ut is, qui, durante contentione, alteri partium vinculo foederis conjunctus fuit, ac ipsius causam defendit, deinceps mediatoris officium suscipiat, praesertim si foederis finiendi tempus ad litem prorsus sublatam demum sit adstrictum. Saltem liberas inter gentes exempla officii mediatoris, foederatis delati, non apparent; quin magis ii quoque repelluntur, qui, licet bello componendo sese minus immiscuerint, atque mediatores jam jam fuerint agniti, inter pacis ipsam tractationem, ad alterutrius partis favorem et arctam amicitiam deflectunt; de quo COCCEJUS *cit. loc. §. 11.* Quapropter merito concluditur, cives Florentinos, quos itidem rebelles memorat MAMERANUS, Scriptor coaevus, apud SCHARDIUM, *T. II. Script. Rer. Germ.* nunquam dedisse Caesari potestatem, quam ipse non antea habuerit; neque adeo in *Articulo praeliminari I.* aliud quid, quam *declarationem*

II. Personam Amicabilis Compositoris.

faculta-

facultatis Imperialis et agnitionem contineri. Neque obstat, quod certum temporis spatium scilicet IV. mensium fuerit adjectum. Lubenter enim admisisse idem Caesar videtur, praecibus Pontificis et Familiae Mediceae commotus. Imo, quum GVICCIARDINVS, *L. XIX.* solum III. menses memoret, JOVIVS vero, quem optima totius rei cognitione fuisse instructum, ipsimet concedunt, de certa temporis determinatione nihil perhibeat, forsan hinc colligi potest, terminum saltem pro forma, uti dicitur, fuisse adnexum, ac nihilominus Caesarem, Florentinorum felicissimum victorem ac domitorem, liberrime statum civitatis publicum ordinasse. Sed quid si *amicabilis Compositoris* nomen atque officium, a *mediatoris* conditione, paulo ante explicita, scilicet distinctum, Carolo V. tribuatur, compertum tamen est, Supremae Imperatoris jurisdictioni optima ratione illud conciliari. Etenim summi judices quoque saepius inter eos, qui jurisdictioni subjecti, concordiam restaurare, et lites exortas transactionis amicae medio sopire solent. Atque tunc ea itidem differentia, quae mediatorem, et judicem, partes amice componentem, intercedit, praecipue semet exerit, quod iste nequicquam possit vel Decreta promulgare, vel veterum beneficiorum atque immunitatum privilegia confirmare, vel iis mulctam gravem poenamque, in transgressores directam, inserere; quum contra cuncta haec ad judiciariam facultatem spectare intelligantur. Jam vero Carolus V. Decretum sive *Diploma* publicum edidit nonsolum (quale quidem jus ad Regalia pertinet) sed quoque eodem Florentinorum privilegia comprobavit, et, quod praesertim animadvertendum, perpetuo ut Constitutio servaretur, *imperavit*, et his, qui violaverint, "suam et Imperii sacri indignationem, et poenam centum marcarum auri puri, ad medietatem usque fisco Imperiali applicandam, indixit. Diploma Caroli V. d. 28. Oct. ann. 1530. Augustae Vindelicorum, in publicis Celsissimorum Imperii Ordinum Comitiis, concinnatum, sub *Lit. O. in fine*, exhibetur, quod recensuit itidem JOVIVS, *cit. loc.* Cui ibidem accedit *Instrumentum* factae exsecutionis.

Explicatur clausula: SALVA LIBERTATE.

Neque vero justissimam Imperialis in Etruriam juris defensionem quidpiam impetit, quod clausula fuerit annexa: *Salva libertate.* Etenim verbum: *libertas*, secundum Seculi istius morem et notissimum genium, non nisi de conservatione privilegiorum, jam dudum indultorum, ac de regimine, per magistratum novum moderate administrando, accipiendum esse, praesertim ostendit exemplum Civitatis Senensis. Haec cum, imperante Carolo V. ann. 1555. eandem obsessionis et oppugnationis sortem subiisset, deditio hac simili conditione a civibus facta, ut salva quidem esset urbis libertas, salva populi jura, privilegia, immunitates, sed nihilominus jus Imperii integrum permaneret, et facultas rem publicam formandi soli Caesari relinqueretur, memorante NATALI COMITE, *Lib. LY. Hist. sui temp. p. 190. seq.* ibi; "Caesar protegendam urbem atque rem publicam Senensem acciperet in tutelam Sacri Romani Imperii, ac denuo eidem urbi ac reipublicae libertatem antiquam confirmaret, veniam omnibus concederet, qui pro defensione arma sumpsissent. Senensibus perduellionis crimen condonaretur. Vt res publica praesidia acciperet, quanta et cujus nationis Caesari placuisset. Vt Caesar ad quietem tranquillitatemque reipublicae, servata tamen auctoritate ac libertate civitatis, possit illam ad eam formam administrationis perducere, quae sibi aptior visa fuerit. Vti in ea reformatione habeatur ratio privilegiorum proventuum castellorumque ipsius reipublicae, uti conferre videbitur, *salvis semper rationibus Sacri Imperii Romani.* Quocum conveniunt ADRIANI, *nella storia di suoi tempi, L. XII. p. 864.* CINI, *nella vita di Cosimo, L. III. p. 182.* et imprimis *L. III. delle lettere di Principi, p. 159. 64. 65. 216.* Quae quidem cuncta ad quaestionem praesentem sunt adeo accommodata, ut causa Imperii hinc eximie queat illustrari, praesertim quum ex genuinis Documentis et Analibus appareat aegre, libertatem Florentinorum ista aetate praestantia et amplitudine ejusmodi Senensium avtonomiam superasse. Deinceps JOVIVS sententiam hanc manifestam satis perspicue confirmat *alleg. loc. p. 388.* verbis: "Sic tamen ut incolumi libertate Florentini suis antiqui juris legibus utantur; itemque GVICCIARDINVS, *p. 949.* ibi; "reipublicae forma, salva tamen libertate; et NARDIVS, *Lib. IX. delle Istor. Fiorent. p. 382.* Certe sicubi a Conservatione libertatis; ad supremi dominii jura liceret argumentari, Civitas in Germania Wezlariensis ab omni vinculo subjectionis foret pridem liberata, atque a jurisdictione Imperii prorsus exemta; utpote cui Rudolfus I. Imp. anni 1280. libertatem antiquam, remissa omni nova, non semel, sed

repetitis

repetitis verbis corroboravit, in Charta apud LEHMANNVM, *L. V. Chr. spir. Cap. CXI. p. 636.* Quomodo autem Carolus V. ipse *libertatis* vocem voluerit intellectam, id sane *Diploma*, quo uti jam dictum, novum urbis regimen constituitur, clarissime ostendit, ibi; " privilegia, jura, concessiones, exemtiones, libertates, gratias et indulta " reipublicae Florentinae a majoribus Nostris, etc. Vnde patet insimul, Caesarem veram libertatem populari gubernationi, atque effrenae vulgi licentiae non recte minus quam sapienter opposuisse; plane ut LIVIUS, sua jam aetate, *L. XXIV. C. 25. p. 327.* " Haec natura, inquit, multitudinis est, aut servit humiliter, aut superbe dominatur, " libertatem, quae media est, nec spernere modice, nec habere sciunt, et non ferme " desunt irarum indulgentes ministri, qui avidos atque intemperantes plebejorum animos ad sanguinem et caedes irritent. Respicere huc videtur GVICCIARDINVS, apud MANVCCIVM, in *vita Cosmi p. 54. seq.* ajens; " Che egli non sopporterebbe mai, " che la republica, un altra volta tornasse alle mani di Ciompi, e che a perpetua in- " famia di nobili occupasse il governo della loro republica un altro simile a Michele " di Lando, pettinatore di lana; qua de re BVONINSEGNIVS, *L. IV. p. 568. 618. seq. 664. seq.*

Libertas Florentini populi non opponitur supremo Imperii dominio, sed Principatus Mediceo.

Quo autem evidentius adbuc appareat, minus opponi hic libertatem indefinitam, excluso Imperii summo dominio, potius libertatem populi, nulli Principi, vel Duci unquam subditi, sed immediate eidem obnoxii, Principatui Mediceorum hereditario, atque id saltem cautum fuisse ab Imperatore, ut juribus civium et privatorum nil damni iste adferret, neque Medicei regimine despotico, et illimitato uterentur; commonendum est, omnes turbas, initio novi regiminis exortas, adversus Imperii jura fuisse haud directas, sed magis contra Mediceam Familiam; quam quidem, adversus genuinum Decreti Imperialis sensum, Florentini populi privilegiis de evertendis, eoque in servitutem quandam redigendo laborare, plurimi gravissime conquerebantur, Caesaris, tanquam supremi Judicis, praesidium officiumque demisse implorantes. Enimvero Florentini omnino existimabant, vocabulo Principis, vel Ducis, non *dominum* (juris Gentium significatione) notari, sed magistratum, partim civilem, partim militarem, sed caput Senatus, atque ductorem exercitus. Quapropter Alexander, Mediceus, principio, ne in Palatio quidem publico habitavit, in aedibus privatis tantisper commoratus, teste NARDIO, *p. 387. seq.* cujus verba memoratu dignissima; " Alexandro de Medici fu creato, e chiamato Duca della republica Fiorentina. La " qua parola secundo la sua vera significazione non significa Signore, ma solamen- " te Capo e Guida, e con uno stipendio limitato per suo salario, etc. Creato il Duca " non tornò come Signore ad habitare nel publico palagio della Signoria, ma fu con- " tento come cittadino, e civile magistrato restarsi nell' habitazioni delle sue private " case. Praeterea, cum Alexander, concessa potestate coepisset abuti, ac dominationem exercere valde saevam, exules quosdam Florentinos ipsius tyrannidem coram Imperatore graviter incusasse, commemorat AMMIRATVS, *L. XXXI. p. 431.* ubi haec querelae et accusationis formula: "che contr' al vigor del capitolo, salva la " libertà il Duca arrogandosi tutta l' auctorità della republica, non havea lasciato, che " di quella si vedesse pur ombra ó vestigio alcuno in Firenze. Nel che non solo essi " Fiorentini, ma venirne offensa la Maestà sua, contra la cui mente, e contr' al teno- " re delle cui parole s' havea quell' auctorità usurpata. Itemque ADRIANVS *L. I. p. 11.* perhibet, Alexandrum pariter ac Pontificem, Clementem VII. fuisse accusatos, implorato enixe Caesaris auxilio, ibi; " che capitoli alla fine della guerra d' accordo " stati conchiusi, havevano in molti modi violati, che la patria loro contra il dove- " re, contra la mente, e contra la fede di quella Maestà (Caesarea) era oppressata da " gravissima servità, etc. e in somma quella citta serva e afflitta dicevano, desiderare, " da sua Maestà, che tornando in sua franchezza, e allegerita della crudeltá, e rapina " del Duca Alessandro, potesse vivere sotto l' ombra di quella. Apparet igitur, plures Florentinorum, eosque nobiliores, novae servituti minime assuetos, suppliciter a Carolo V. efflagitasse, ut, abrogata Mediceis reipublicae administratione, libertatem redintegraret; civitate sub umbra tanti Principis ac dominio supremo Imperatorum Romano-Germanicorum constanter vivere ac florere semper gestiente. Apparet porro, formulam, " *che sia conservata la libertà*, juribus Imperii nequicquam adversari, sed dominio unius, et Principatui Mediceorum fuisse objectam, vel ita saltem a Florentinis ipsis, iisque libertatis amantibus, fuisse oppositam; e quorum censu

D 2 GVIC-

GVICCIARDINVS nequidem eximendus est, quemadmodum innuit *L. XX. p. 950. 655.* et JOVIVS, *p. 358. 382. 388.* Atque adeo omni fiducia nunc concluditur, injustum atque ab omni esse remotum aequitate, deditionis articulos in maximam juris Imperialis injuriam explicare, ac summum illi dominium contra apertissimam veritatis lucem abjudicare; praesertim cum GROTIVS, excitatus, de libertate ex sententia Juris Gentium, ab instituto valde aliena disserat, itemque nihil prohibeat, quominus libertatem *illimitatam* sive perfectam distinguatur, ac certi ejus rei gradus constituantur, docente COCCEJO, *de Avtonomia*, itemque SCHILTERO, *L. IV. Instit. Jur. Publ. tit. ult. §. 28.* cujus verba adnectere hic lubet; " Sciendum est enim, Libertatem " et Independentiam habere suos gradus: aliamque esse absolutam, aliam conditio- " nalem sive restrictam, atque cum obligatione aliqua mixtam. Quae porro ipsa ite- " rum varia est; alia miscet subjectionem cum participatione juris Imperii, vel Regni, " qualis est in Statibus Imperii Germanorum, Superioritate Territoriali ac Majestate " analoga gaudentibus. Alia libertatem temperat obligatione feudali. Alia liberta- " tem jure Civitatis honorario ita ornat, ut absque mutua obligatione aliqua susceptum praesumi non possit.

Distinguendum est Libertatem inter illimitatam et limitatam.

III. Personam Arbitri.

Praeterea autem III.) disquirendum est, annon Carolus V. Imp. *Arbitri* induerit personam? Equidem, officium hujusmodi nomenque *pag. XXIIX. seqq.* Caesari itidem perperam affingi, luculenter jam est demonstrandum. Principio constat, *Compromissi* cujusdam Instrumentum nullibi exstare, neque idem illud ex *Articulo I. deditionis Florentinae*, derivari posse; utpote qui jam dum satis fuit enucleatus atque discussus. Deinceps Decretum sive Diploma Caesareum (cujus tenorem Appendici *Actorum Publicorum* haud inseruere, forsan data opera omissum) adeo ab omni *Laudi* cujusdam indole et forma est remotum, ut mirandum quam maxime sit, res diversas tam improvide commisceri, atque adsertionem Libertatis Florentinae omnium prudentiorum ludibrio magis adhuc exponi. Certe non solum Decretum in publicis Imperii Comitiis fuit concinnatum, atque consilio Ordinum comprobatum; ibi; "Sa- " no Principum, Baronum, Comitum, Procerum, etc. ad hoc accedente consilio; Sed quoque idem absolutionem, receptionem in gratiam Imperii Romani, confirmationemque privilegiorum, et alia complectitur, quae cum *Laudi* conditione insigniter pugnant, neque in *Articulo I.* deditionis uspiam fuere indicata. Quis enim unquam arbitrum sic differentem audierit; " *de nostra Imperialis potestatis plenitudine?* Neque arbitrii simplicis et Compromissi natura patitur, ut Decreto remissio peccatorum inferatur, ibi; " quidquid in his omnibus supra dictis, et alias quomodocunque " contra Nos Romanum Imperium commisit, tenore praesentium remittimus, eamque (Civitatem) in Nostram & Romani Imperii gratiam recipimus. " Haec etiam verba ab omni Laudi formula abhorrent: " Cupientes etc.„ Nostramque et Romani Imperii dignitatem et authoritatem, ut tenemus, conservare. Maxime vero Diploma Imperatorium aspernenda magis, quam refellenda objectione liberant atque absolvunt, cum verba imprimis significantia: "Decernentes. " ac volentes, et hoc nostro Imperiali Edicto, perpetuo valituro, statuentes, ut si " quando dicta res publica Florentina hoc regimen, modo quo supra a Nobis institu- " tum, violare, aut invertere, aut ei quovis temerario ausu contraire audebit, tan- " quam Nobis, ac Romano Imperio ingrata, rebellis, et inobediens, suaeque sa- " luti, libertati, quieti, paci et tranquillitati contraria, supra Scriptis Nostris, remis- " sione, indulto, etc. privata atque universum ejus dominium ad Nos, et ipsum Ro- " manum Imperium devolutum censeatur, etc. tum GVICCIARDINVS ipsemet, qui, " auctoritate Caesarea formam reipublicae Florentinae fuisse compositam, *L. XX.* inge- " nue fatetur, quum, " In hac autem, inquit, constitutione Carolus hujusmodi ver- " ba, quae ipsum non modo potestate sibi a partibus concessa, verum etiam *Caesarea* " *auctoritate* dignitateque niti ostenderent, passim inseruit. Quapropter summae temeritatis ii omnes merito sunt coarguendi, qui, expressae literae renitentes, sub *laudi* cujusdam figura Libertatem Florentinam extollere adeo satagant. Certe quilibet facili negotio intelliget, supremum Baliae Magistratum, qui jam aliquot menses ante Decreti publicationem Duci Alexandro eam facultatem, ut omnibus Magistratibus tanquam Praepositus praesideret, *pag.* XXIX. dedisse fertur, nihil aliud perfecisse, quam id, quod voluntati Caroli conveniret, eximie prorsus ac fortiter adimpletae, itemque haud fuisse opus, ut Caesar a novo Principe jusjurandum fidelitatis exigeret, aut titulo

Removetur obje-

Inve-

Electio, ab intermissa exactione Investiturae.

Investiturae eidem administrationem civitatis concederet. Sicubi enim Diploma Caesareum, saepius memoratum, curarius investigetur, patebit, veram ibi concessionem clientelarem latere, nec id abhorrere multum a hodiernis ejusmodi documentis, quae *Investiturae literas* appellare solent. Ubi non tam ad verba, eorumque pompam respiciendum, quam ad mentem Caesaris et Diploma largientis. Jam a Carolo imperatur, ut Alexander de Medicis caput reipublicae habeatur, cui gubernationem nunc illius commiserit. Jubet porro, ut ea dignitas ad ejusdem filios, haeredes, et Successores ex suo corpore descendentes masculos, ordine primogeniturae semper servato, et illis deficientibus ad proximiorem masculum ex ipsa Mediceorum familia pertineat: it. ut res publica Florentina in Nostra et Romani Imperii fide ac devotione perpetuo maneat. Annon ex hisce verbis clientelaris concessio illico elicitur, immo foeminae una tacite a gubernatione reipublicae excluduntur, cum Caesar videatur Juris Longobardici, quo Italici quoque Principatus Feudales reguntur, regulam hic amplexus esse, quae foeminas a successione in feuda, praesertim Regalia, justissime arcet. Igitur sine causa reprehenduntur Germani Scriptores, qui, Diplomate misso, Alexandrum veluti de Principatu Florentino fuisse investitum, prudenter existimarunt. Etenim, investituram variis symbolis et modis celebrari, abunde liquet ex ALTESERRA, *C. IIX. de Orig. et statu Feud. p. 24. seq.* CONGIO, *T. II.* GLOSSAR. *Latin. p. 116. seqq.* sub *voc. Investitura*, nec non Diplomate apud LEIBNITIUM, *Part. I. Cod. Diplomat. p. 131.* ubi investiturae, *Scripto* peractae, exemplum memorabile. Adeoque suffecerit, si quis Diploma consequatur, ad normam literarum investiturae directum, etiamsi ipsae investiturae solemnitates haud intervenerint. Quemadmodum olim quoque, investitura licet petita et impetrata forsan, literae minus exhibitae fuerunt, imo solemnitates plurimae omissae, quae maximam partem recentioris aevi, monente BESOLDO, *Consil. CCXCIX. num. 36.* Cujuscunque rei, etiam Principatus, qualitas feudalis cognoscitur, imprimis ex mente atque intentione dantis. Neque interest, quacunque ratione illa voluntas et intentio sese exseruerit. Neque jus jurandum fidelitatis ad essentiam feudalis vinculi pertinet, quum sic naturale tantum ejusdem praestatio, quae vel expressa conventione, vel tacita remissione, cessare intelligatur. Quo spectat argumentum, ab homagio ductum, quod accedit subjectioni tantum corroborandae. Quicquid ergo Florentini quondam praestationem ejusmodi Sacramenti declinarint, a Caesare, vel ejus Vicariis graviter exactam, nihilominus idem subjectionem populi non intervertit; et, quicquid Principes Medicei ad id negotii nec a Carolo V. nec ab alio Caesare, adacti legantur, omissio talis suppressum quendam, vel perfectam a jurisdictione Imperii exemtionem frustra parit. Nam, praescriptum fuisse eo casu dominium directum, ne quidem censetur. Sola omissio exactionis sive investiturae, sive jurisjurandi, sive servitiorum, ut ut maxime eis indiguerit dominus directus, ad praescriptionem dominii directi privativam non sufficit, sed necesse est, ut vasallus verbis, aut factis, declaret se nolle esse vasallum, nec dominus contradicat, *arg. II. Feud. 26. 33. 87.* ROSENTHAL. *de Feud. C. VI. Concl. 82.* Neque, quamvis jus petendi jurisjurandi fidelitatis praescriptione exstinguatur, ipsum illico dominium directum exstinguitur, quum fidem feudisticam quidem (qualis tum ex Diplomate Carolino, tum ex declaratione Civitatis Florentinae subsequuta, abunde apparet) non item Sacramentum fidei, hic requiri, diserte pariter statuatur, *II. Feud. 3. in fin. II. F. 21. §. 1.* Sola in gradu promissionis differentia non induit speciei mutationem.

Investitura etiam per scriptum fieri potest.

Jusjurandum non est de essentia nexus feudalis vel subditii.

At, quid si concedatur, Diploma Carolinum nihil plane complecti, quod *investituram* aliquam innuat, neque adeo ditionem Florentinam Feudis Imperii adnumerari posse; hinc tamen consequitur minime, eandem in suprema Juris Gentium Libertate esse constitutam. Principio enim inter omnes constat, in Romano-Germanico Imperio complura deprehendi *Allodia*, quorum possessores, licet ipsi neque investiantur, neque aliis adeo oneribus sint obnoxii, quae vasallis incumbunt, illius tamen supremam agnoscunt jurisdictionem; uti explicat STRUVIUS, *de Allodiis Imperii.* Deinde notandum est, exstitisse semper in Germania pariter ac Italia ejusmodi bona, quae ad fiscum domaniumque Imperii pertinuere olim, quaeve Caesares administranda ac regenda Advocatis et Vicariis suis commisere certis inde reditibus percepcis; supremo interea dominio salvo. Cumque et hi in plerisque Imperii urbibus evanuissent, ac, Caesarum singulari privilegio, consulibus et magistratibus demum

Nihil interest utrum territorium Florentinum Feudis an vero Allodiis Imperii adnumeretur.

civita-

civitatum regimen commissum sit atque demandatum, jura tot, majestati adnexa, complexum, non aegre conjicitur, quomodo hae civitates *liberae* fuerint appellatae. Liberae etenim istae et immunes e Praefectorum Imperialium, quorum officium HEIDERVS, celebris admodum Scriptor, exposuit, inspectione ac directione, gaudent avtonomia, eligunt ad praescriptum magistratus proprios, et pensitant nihil, aut perparum: saltem non nisi cum publica exigit utilitas, vel necessitas, amplius aliquid colligunt, inque aerarium Imperii important. Ac talis civitas, post multas et mirificas demum concertationes, evasit Florentia, variis victoriis ditescens, et terras ac *Comitatum* suum insigniter augens: quod Caroli IV. Tabulae, itemque Ruperti, jam supra vindicatae, praeclare evincunt, quippe ubi *Priores Artium, Vexilliferi Justitiae,* et *Capitanei* reliqui *Vicarii* Imperatoris, sive *Commissarii* constituuntur, simulatque *investiuntur*: itemque AMMIRATVS, *L. IIX. 884.* innuit, qui, Bonacursium Pittium, Florentinorum Syndicum et Legatum, civitatis totius nomine, Moguntiae per annulum fuisse investitum, his verbis memoriae prodidit: „ Pitti ottenuto dall' Imperadore in Magonza etc. un amplissimo privilegio, nel quale veniva confermato a Fiorentini tutte le citti, terrae, e luoghi, etc. investendone il madesimo Pitti, come Sindaco del commune di Firenze condargli l' anello. Quocum egregie convenit NARDIVS, *L. V. p. 212.* diserte ac ingenue injiciens mentionem *investiturae*, a Maximiliano I. Imp. Veronae, ann. 1509. Florentinis datae. Certe quidem iisdem in feudum rectum, hac ratione regimen civitatis minus accepere. Attamen sic potestas Imperialis, atque justa, quae isti respondeat, Subjectio fuit conservata; praecipue quum compertum sit, *investiendi* vocabulum late satis patere, atque adeo mandatum, et *Commissionem* itidem designare; prouti imprimis colligitur ex Alphonsi, Castellae Regis, et Pisanae Civitatis literis, apud PAVLVM TRONCIVM, *in Annal. Pisan.* ubi Pisani cives Alphonsum in Regem cooptant, ei jurant, illumque *investiunt*, hoc est approbant; quemadmodum is vicissim Pisanos omnibus, quae tunc temporis petiere, juribus benigne *investivit*. Hujusmodi igitur summum regimen, propriis Florentinorum magistratibus a Caesare mandatum, Rupertus *plenam libertatem* vocat, quam sane nondum habuere tum temporis ita integram, cum ad Imperiales Vicarios ac Missos Regios recipiendos essent obstricti, more ceterarum Regni Longobardici urbium, quibus ex formula *Pacis Constantiensis,* tales *potestates* Caesaris electione, et usque ad certum temporis spatium, saepius imponebantur. Unde jam perspicitur, quare, restituta hac Florentinis libertate, Alexandrum, ejusque Successores, nullis Feudi legibus adstrinxerit Carolus V. Imperator, sed axioma potius Regiminis Capitis, ac primarii „ gubernii et civitatis omniumque Collegiorum Praesidis, attribuerit: cum alias regimen vigeret populare, ac proprio ausu a civibus olim, inter conflictus varios, et factiones turbulentas, esset institutum. Quo collineant verba Diplomatis Carolini praestantia: " animadvertentes rempublicam ipsam, veluti et alias complures, ejus „ esse naturae atque ingenii, ut sub hujusmodi regimine et magistratu, in quo esset „ unus, cui ejus praecipua cura incumbat, longe melius ac felicius regatur et guber- „ netur, quam ubi res ad populares magistratus defertur. Concluditur ergo, Venetorum more Mediceos *Duces* esse dictos, quum Caesar haud eadem ratione, qua Principibus Italiae aliis dignitas indulta, adscripserit, in *Diplomate*, Alexandro concesso, saltem *Ducem Civitatis Pennae* istum compellans; itemque illos, licet majori longe, ac apud Venetos, libertate Principum, et populi vicissim obsequio arctiore pridem limites dominationis suae metiantur, vel ideo supremae Imperiali potestati subesse, quod non solum re ipsa, omnium judicio, nihil referat, an quis feudi lege summum regimen in regione quadam exerceat, an vero ex perpetuo *Mandato* atque *Commissione*, sed etiam ad colendam Imperii Superioritatem *Clausula Conservatrix* quaedam compellat, quam in praejudicium et injuriam domini, largitoris, et mandatoris, a fideli, beneficiario, acceptore, et mandatario detorqueri, quicquid est justitiae ac genuinae aequitatis, merito vetat.

Comparatio Florentiae cum Liberis Imperii Civitatibus.

Exemplum Investiturae Florentinae, per annulum.

Aliud Investiturae exemplum.

Domus Medicea Florentiam regit jure perpetuae cujusdam Commissionis Imperialis.

Clausula conservatrix.

Hucusque objectionibus vagis, ex parte contraria pro defendenda Libertate Florentina, in medium productis, confutatis, non solum colligi potest, statum, formamque reipublicae a Carolo V. vi *Imperialis dignitatis authoritatis*, supremam quandam potestatem necessario praestruentis, fuisse compositam, universum Principatum Mediceum benigna concessione inniti, ac Caesarem jura Imperii sic confirmasse, ut fortior illorum declaratio desiderari amplius haud possit; sed quoque consequitur, frustra

nunc

Refellitur ac exponitur KLOCKIVS.

nunc praesidium in KLOCKII testimonio *pag. XXX.* collocari. Etenim Scriptor iste rerum fabulam de venditione jurium Imperii, a Rudolpho I. Imp. susceptа, incaute repetit, ipsis Florentinae Libertatis assertoribus aliisque pridem explosam. tum sibi ipsi adeo non constat, ut potius aperte contradicat, misceat omnia, ac turbet, Imperii tamen in Florentinam regionem jura tueatur magis, quam impugnet. Certe, postquam de Caroli V. facto, et Familiae Mediceae eminentia sine judicio (prouti solent homines, Annalium Diplomatumque ignari, itemque sobria Juris Gentium ac Publici, itemque Politices scientia destituti) disseruisset satis parce, illico subjungit. Addit ta-„ men DECIANVS, *Conf. 19. num. 192.* etsi Ducatus Florentinus non solvat Cano-„ nem Imperatori non est ideo exemptus a superioritate, quia Imperator sibi et impe-„ rio expresse superioritatem reservavit, ut apparet in privilegio et *investitura* Cosmi, „ ex quo consilio possunt et alia argumenta peti: Praeterea itidem indicium malae causae est, confugere ad Juris - Consultos, et auctoritate numeroque ipsorum sese tueri, ubi Diplomata publica et rerum documenta competentis judicis officio defungantur, ac rationes magis solicite ponderentur.

Ex Pontificum Max. factis jus Imperii haud est dijudicandum.

Neque vero id egregium rerum, a Carolo V. in Hetruria eximie ac fortiter gestarum, effectum infringit, quod *pag.* XXXI. de summorum Pontificum abstinencia ac moderatione perhibetur. Quum enim Pontifices nullo unquam tempore potestatem quandam sibi in Florentinam civitatem adrogarint, imo saepius quoque eandem obsequii, Imperio Romano praestandi, graviter admonuerint, compositio civilium discordiarum, et constitutio novi magistratus, ex compromisso quodam sive mandato partium dimanans, titulum acquisitionis idoneum haud potuit suppeditare. Neque uspiam apparent Decreta, a Pontificibus forsan circa statum Florentinae civitatis publicum, ejusque renovationem concinnata ac promulgata. Contra vero Carolus V. Imp. non mandato forsan ac delegatione quadam, sed certissima et vetustissima facultate Imperii suffultus et communitus, perfidis graviter, ob ingratitudinem et molitionem adversus Imperium, coërcitis et debellatis, non Senatorum forte aut Consulum ordinem auxit, vel minuit, sed prorsus, pristina forma civitatis prope abrogata, novum, Florentinis antehac omni modo declinatum, statum condidit, Decreto Imperiali *clausulam* tam jurium Imperii *conservatricem*, quam *poenalem* inseruit, ab ubivis adeo provide ac sapienter iisdem prospexit, ut summae sit impudentiae, Gloriosissimi ac Invictissimi Imperatoris memoriae tantam inferre labem, atque ipsum supinae cujusdam negligentiae et levitatis veluti incusare. Certe quidem obsessionis Florentinae praecipua quoque causa restauratio publicae tranquillitatis, salutis, ac quietis in oris Italiae. At nonne summorum imperantium officium exigit, ut subditorum suorum dissensiones tollant, ac turbis civilibus auctoritate sua medeantur? Caesar profecto verbis Decreti: *Libertatem, pacem quietam et tranquillitatem*, illico aliam rationem adjicit: "ut-„ que in Nostra et Romani Imperii fide et devotione perpetuo maneat. Quapropter concluditur, ideo saltem abstinentiam Caesaris, de qua Joannes CASA disseruit, esse admirandam, quod citati *favore atque intuitu* Clementis VII. Pontificis Maximi, pro ea intercedentis, proprias leges reliquerit, privilegia firmarit, ac novum propriumque magistratum indulserit, quum nihil plane prohiberet, quominus universum ejusdem dominium sibi instar dominii Imperialis vindicaret, cives cunctis juribus privaret, vel prorsus exstirparet.

Factum Alexandri, Ducis expenditur solutis dubiis.

Alexandrum vero Mediceum dominium Imperii supremum in ditionem Florentinam lubenter agnovisse, neque unquam, libertatis praetextu, quidpiam in jacturam, vel contemtum illius suscepisse, jam est demonstrandum, ac insimul factum ejusdem, unde, ex adversa parte, *pag.* XXXII. documentum arcessitur, perspicue diluendum. Praesertim autem ex AMMIRATO, *L.* XXXI. *p. 433.* THVANO, *Hist. L. I.* et aliis Historicis constat, Alexandrum, ob varia crimina, inque primis libidinem dominandi, quae animum invaserat, a civibus quibusdam Florentinis graviter accusatum, judicio Caesaris hac in causa prorsus sese submisisse. Deinceps nondum liquet, utrum VARCHIO fides nimis adhibenda sit, utpote qui complura passim comminiscitur, effreno quodam libertatis studio, ac Germanicae Gentis odio itidem abreptus. Verum etiamsi Alexander revera feudalem conditionem, ipsi oblatam, fuisset deprecatus, tamen ideo se a jurisdictione Imperii prorsus immunem exemtumque esse, haud fuit arbitratus, utpote qui potius summissae venerationis omnisque obsequii contestatione

ftatione id efficere admodum nitebatur, ne Carolus V. Imperator, ipso rejecto et condemnato, exulum Florentinorum humillimis precibus deferret. Certe quis prudens unquam existimarit, Alexandrum fore declinaturum aliquid, quod ipsi laxiorem longe in Florentinos potestatem conciliasset? Imo ille tum conscientia facinorum pressus, ac, exulibus vindictam Caesaris justissimam urgentibus, adeo perterritus ac metu perculsus fuit, aut, memorante ADRIANO, *L. I. pag. 11.* de abitu et relinquenda urbe Neapolis aliquando cogitarit, neque tamen discedere hinc fuerit conatus, dissuadente Francisco Guicciardino, et aliis, qui, libertatis, vel feudalis vinculi oblati nulla penitus habita ratione, saltem, eodem VARCHIO, *p. 575.* teste, sequenti argumento usi, " che s' egli si partiva di Napoli in quella maniera, ch' ei di-
" mostrava di voler partirsene, egli veniva tacitamente a confessare; che tutte quel-
" le accuse, che gli ponevano i Fuorusciti innanzi all' Imperadore in publico e segre-
" tamente ancora, fossero vere, e per consequente, che la ragione fosse dal lato lo-
" ro; onde Caesare poteva giustamente condannarlo, e che per ciò era molto me-
" lio per lui il mandare a pregar l' Imperadore, che gli piacesse di spedirlo, etc. Ceterum fides et devotio Alexandri, ejusque subjectio adhuc magis exinde perspicitur,

Alexandri devotio erga Carolum V. probatur.

quod non solum Carolus V. eidem axioma Ducis adscripserit, et firmarit, apud LEANDRVM ALBERTVM, *nella Discrittione di tutta Ital. p. 64.* ALDVM MANNVCCIVM, *nelle Vita di Cosimo, p. 39.* et alios, sed etiam Castello, quod *Rocca* appellatur, jam tum observante RABELAESIO, *Epist. XIII. p. 33.* Aquila, Romani Imperii insigne, fuerit appicta, itemque Caesar, Florentiam ingressus, et equo albo, in signum supremae potestatis, secundum LABVRERIVM, auctorem Gallicum, insidens, oblatis civitatis clavibus, promissionem Alexandri, atque totius populi, de fide servanda, et obsequio perpetuo praestando, ipsemet ultro obtinuerit, arcubus quoque triumphalibus diligenter constructis, et inscriptionibus, quas VARCHIVS, *cit. loc.* narrat, ingenue expressam, ac aeri velut perenni incisam.

Ab electione Cosmi I. argumentum Libertatis perperam ducitur. Administratio Cibi Decreto Carolino conveniens.

Praeterea indagandum est, utrum ab electione Cosmi I. Medicei, *pag.* XXXIII. argumentum perfectae Libertatis idoneum juste fuerit ductum. Ubi principio quidem commonendum, nihil hic referre, etiamsi Cardinali Cibo administratio reipublicae, Alexandro peremto, a solo Senatu fuerit commissa, utpote qui clausulam *rati et grati* probe intellexit, istam tantisper cuidam concessurus, donec Caesaris, tum bello Gallico impliciti, voluntas ac debita confirmatio successorem constituisset. Neque Decretum Carolinum neglectum, quum Cibus Familiam Mediceam cognatione attingeret, prouti testantur MANNVCCIVS, *pag. 39.* et ADRIANVS, *L. I. p. 12.* Quin Caesari illud factum non poterat non vehementer placere, quod singularem ejusdem fidem dudum haberet cognitam ac perspectam, nec Cibo antiquius quid aut prius esset, quam, ut Florentinorum Civitas in obsequio persisteret Imperiali. Ita enim ADRIANVS, *p. 17.* ait: " Il Cardinale Cibo era disposto a mantenere la Città nella
" divozione di Caesare; atque apud CINIVM, *L. I. p. 19.* Cibus vocatur *huomo di fazione Imperiale*, ceteroquin apud AMMIRATVM, *p. 438.* maxime laetatus, superesse
" Cosmum, a cui secondo la disposizione di Cesare legitimamente l' amministrazione
" del governo di Firenze ricadeva. Deinceps compertum omnino habetur, atque

Exclusio Laurentii, Medicei, auctoritate Imperiali facta.

Diploma Caesareum sub *Lit. P.* comprobat, Laurentium, parricidam, non a Florentino tantum Senatu fuisse exclusum, sed Imperatoris Sententia itidem successione indignum merito judicatum. Quocum consentiunt JOVIVS, *L.* XXXIIX. et ADRIANVS, *L. I. p. 17. L. II. p. 75.* Equidem Julianus, Laurentii frater, Diplomate isto diserte a Successione haud remotus. At privationis poena tacite ad Julianum sive prolata, quod in crimine laesae majestatis, imprimis adversus Imperatorem, ejusque peculiari privilegio constitutum magistratum, commissarium, etc. perpetrato, id non raro fieri consueverit, sive ideo regimine haud potitus idem, quod Clerici habitum indutus esset, ad dignitatem Archi-Episcopi, Aquis Sextiis in Provincia promotus.

Senatus Florentini circumspecta fides in observando

Quam religiose autem Decreto Caesareo inhaeserint eo tempore Florentini Senatores, praestiti jurisjurandi, de quo AMMIRATVS, *L.* XXXI. *p. 418.* et GVICCIARDINVS, *p. 434.* non immemores, hinc liquet etiam, quod Canisiani, Senatoris, consilium in publico XLIIX. Virorum consessu, summa cum indignatione fuerit rejectum, quum Julium, Alexandri filium naturalem, successorem proposuisset, utpote contra Imperiale Edictum, solos mares legitimos, spuriis plane praeteritis, ad Successionem vocans;

vocans; qua de re idem AMMIRATVS, *p. 438.* JOVIVS, *cit. loc. p. 156.* ADRIANVS, *p. 16.* et *109.* et CINIVS, *L. II. p. 100.* *Decreto Carolino.*

Nequaquam vero existimandum est, *pleni liberisque Senatorum votis*, prouti in basi statuae equestris Cosmi I. aere incisa haec verba leguntur, Principatum fuisse acquisitum. Quin potius nec Cosmus, nec ullus alius e Medicea Domo ad id fastigii fuisset amplius evectus, nisi auctoritas et voluntas Imperialis, Edicto pridem declarata, causam graviter sustinuisset, cunctas elidens, et condamnans adversariorum machinationes. Sic enim memorat MANNVCCIVS, *p. 53.* " La maggior parte de' XLVIII. „ comincio primi eramente a trattare di ristituire alla republica le sue antiche leggi, „ i suoi magistrati, e il suo Gonfaloniere, e tutto la sua primiera forma, in cui si ve„ deva la imagine della liberta scolpita. Certe imprimis cum Oricellarii, Senatoris, vox excepta est, se neque principem, neque ducem in republica velle, liberrimo ore profitentis, nec recusare dicentis, quin pro alba suffragii faba capite plecteretur; qua in causa Guilielmum Capponium plane sortitus consentientem, apud JOVIVM, *p. 156.* MANNVCCIVM, *p. 54.* CINIVM, *p. 29.* et ADRIANVM, *p. 18.* Quapropter testibus iisdem Scriptoribus, JOVIO scilicet *p. 155.* et MANNVCCIO, *p. 53.* Cardinalis Cibus, propositum ejusmodi Senatorum intelligens, sincere ipsos hinc deterruit, severam ultionem atque expeditam ipsis comminatus, si legem Caesaris, in favorem Domus Mediceae latam, minus observarent, a qua discedere nefas sit. Sigillatim vero Vitellius, Florentinae arci praefectus, ajebat, multum existimationi suae fore decessurum, " se quello stato a lui raccommandato e a sua guardia commesso, si „ fusse alienato della divozione dell' Imperadore, 'o si fusse alterata quella forma di „ governo, che egli haveva presa a difendere; apud ADRIANVM, *p. 15.* Quibus commoti tandem Senatores secundum SCtum, d. 9. Januarii anno MDXXXVI. conditum, sub Lit. Q. referente eodem Historico, *p. 17.* promittunt, " di mantenere „ la forma dello stesso governo, con darli Principe secondo il privilegio dello Impe„ radore, della famiglia de' Medici e a chi di ragione si deveva che era il Signor Co„ simo. Di ipso autem Caesare ejusque potentia significantes satis CHIZZVOLA ad Ga„ vardum, *L. III. delle lettere di Principi, p. 215.* scribit: " che morto il Duca Ales„ sandro e havendo Carolo fatto custodire e tener lo stato di Fiorenza con tutto che „ havesse molte vie come collocarlo in gran servigio suo, volle tuttavia darlo so„ lo, a chi vi de piacere a i Fiorentini stessi e a chi s' apparteneva per ragion di „ sangue. *Discutiuntur verba: Plenis liberisq; Senatorum votis.*

Post haec solam et liberam Senatorum ac civium electionem, qua Cosmo primae administrationis reipublicae partes fuerint delatae, temere jactari, hinc itidem non aegre colligitur, quod novus ejusdem Principatus, ob diversa civium studia, tum diu fluctuarit, quamdiu Caesaris auctoritate firmatus nondum erat ac stabilitus. Nam quanto novi Principis, et omnium, qui eidem addicti, odio flagrarint Florentini, perspicue recenset ADRIANVS, *p. 20.* Quod eousque aemulos Mediceae felicitatis hosce concitavit, ut novum Principatum obscurae umbrae ac levi paleae comparare, non turbine modo vehementiori, sed lenissimo vento etiam facile difflandae, haud erubuerint; uti CINIVS animadvertit, *L. II. p. 87.* Contra vero, quum Diploma Caesaris advolasset, nullus civium fremitus, nulla amplius dissensio, sed mira animorum conjunctio, una voluntas omnium, Cosmo, ab Imperatore confirmato, ac novo servitutis jugo, quicquid durius paululum videretur, sponte se submittentium, teste MANNVCCIO, *p. 74.* cujus verba digna, quae hic producantur; " Vennero, „ inquit, le lettere Imperiali, date in Monzone l' ultimo di Settembre anno MDXXXVII. „ solennemente segnate e sigillate, per le quali sua Maestà approvava l elettion di lui „ fatta dal senato, e gli confermava tutti quei privilegii ch' erano stati conceduti al „ Duca Alessandro, e oltre a ciò l' honorava del nome di Principe, e di Duca del„ la Firenze. Alle quale cose tutte acconsenti la città largamente, non ostante, che „ paresser troppo gravi conditioni di servitù. Hujusque confirmationis meminit etiam LVDOVICVS GVICCIARDINVS, *L. I. Rer. memorabil. p. 109.* ibi; " quo in statu „ eum (Cosmum) statim Imperator sua voluntate confirmavit. *Principatus Cosmi I. initio incertus, auctoritate Caesaris corroboratus.*

Igitur clarissime liquet, quantopere ii decipiant, ac ipsimet decipiantur, qui, verbis sive AMMIRATI, *p. 443. 463. et 525.* sive CINII, *in vita di Cosimo, L. III. p. 136. et L. III. delle lettere di Principi, p. 50.* sive tandem ANTONII MARIAE

GRATIANI, *in Joan. Francisci Commend. Card. Vita*, *L. III. C. 8. p. 309. seq.* innixi forsan, Cosmum I. a civibus liberis et nullius Imperio obnoxiis, atque eligendi facultate perfecta instructis ad dignitatem Principis ac Supremi Senatus Florentini Praesidis fuisse promotum putant. Ubi praesertim commonendum, GRATIANI narrationem, qua gubernationis opus Cosmo invito ac nihil tale cogitanti impactum fingit, fabulis esse adnumerandam.

Distinguendum inter usum Regalium liberum, ac summam potestatem civilem. Argumento de libera Cosmi I. electione jam abunde discusso, ingens iterum *pag.* XXXIV. et *in Append. N.* XIII. occurrit Scriptorum, tam Italorum, quam Germanorum agmen, libertatem Florentinae Civitatis, post Principatus Medicei constitutionem, propugnaturum; quod quidem paucis nunc repelli itidem ac dissipari, ordo Confutationis jubet. Etenim quilibet facile animadvertit, omnes Scriptores istos, inque primis DUCKIUM, et MYLERUM, agminis ductores, perperam commiscuisse, dum Magnum Etruriae Ducem Regibus Galliarum, et Hispaniarum aequiparant, usum Regalium et perfectam subditorum regionis subjectionem, vinculo, quo Princeps, ejusmodi illimitata praeditus potestate, Imperio nihilominus est devinctus. Certe Principes, etiamsi subditis despotice imperent, alterius tamen vasalli ligii exstare possunt, et sub potestate aliena, intuitu sive personae, sive territorii, sive utriusque rei conjunctim, varia ratione, varioque titulo, positi, praesertimque Imperio Romano-Germanico obstricti, cujus clientelam, late protensam, neque Reges declinarunt. Quicquid ergo Dux Magnus Tusciae, spectatis conditione regiminis et subjectorum habitu, Regibus, et Monarchis sit comparandus (quae tamen comparatio nimium redolet fastum, neque dubiis vacat) illico a jurisdictione et superioritate Imperii ipse nequicquam exemtus, quum haec omnia consistere invicem commode possint. Quid ni ipsa Majestas subordinata concipi possit sic, ut alteri competat directo, sive supremo, alteri utili, sive subordinato dominio? Incongruum minus videtur, gradus istius rei dari. Majestas et jura majestatica non queunt a sese invicem divelli, quum illa sine juribus ad res non existentes pertineret. Si ergo jura majestatica nexum clientelarem, aut subordinationem quandam haud respuant, cur non ferat ipsa majestas? Imo, licet majestas, vero et proprio sensu accepta, a nemine, nisi Deo, debeat pendere, nihilominus regula non immunis ab omni erit exceptione. Magnus igitur Florentiae Dux non gaudet vera majestate, vel suprematu quodam, isti rei finitimo, etiamsi jura majestatica exerceat, et analoga majestatis potestate utatur. Principes Germaniae, quorum plures potentia et auctoritate Florentinam superant, et Superioritatem exercent Territorialem, nequaquam ideo majestatem sibi, aut Suprematum adrogant, non ignorantes, ea omnia ab analoga hujusmodi potestate longissime discrepare. Sicubi ergo Auctores isti vel insignem, jam explicitam, ac in *Pac. Monast. Instrumento §. 72.* in causa Pinarolensi, itidem circumspecte observatam, probe cognovissent, vel tot praestantia Documenta Augustissimorum Caesarum paulisper saltem inspexissent, nec adeo leviter Italos quosdam Scriptores, Guelphicae olim factioni devotos, et in majestatem S. Romani Imperii injurios, fuissent sectati, in sententiam tam perversam minus incidissent. Profecto si auctoritatibus Scriptorum quaestio decidi debeat, longe plures proferri hic possent, qui jus Imperii in Florentiam haud verbis solum generalibus, sed, argumentis rerum saepius prolatis, distincte et solide adstruxerunt, atque adeo facillime argumentum et testimonium libertatis, hinc depromtum, testimonio contrario, multo fortior, tot JCtorum et Historicorum celeberrimorum retundi, nisi incongruum prorsus esset ac supervacaneum, numerare Scriptores, ubi potius aestimandae rationes.

Refellitur argumentum, a Testimonio Pii V. Summi Pontificis. Eo minus vero auctoritatis Scriptorum praejudicio refellendo est immorandum, quum, imbecillitatem illius veluti subodorantes, ad supremam autoritatem et publicam testationem summi Pontificis, Pii V. confestim prosiliunt, utpote qui in Bulla, d. 27. April. ann. 1569. data, professus fuerit "Cosmum Mediceum absoluta potestate, " ratione liberi et directi Dominii Florentini, nemini esse subjectum. Quae quidem Bulla, dum fiduciam tantam defensoribus Libertatis Florentinae inspiravit, majorem omnino discussionem intelligitur postulare. Jam autem objectiones, quas suggerere Bulla eadem videtur, tum generatim, tum speciatim nunc sunt removendae. Etenim principio liquet, testimonium Summi Pontificis, quod ceteroquin, in aliis causis latum, maximi omnino ponderis habetur, ideo huc frustra revocari atque urgeri,

quod

quod tota actio Pontificia a Caesare, Maximiliano II. irrita fuerit reddita, ac proinde Bulla omnem perdiderit efficaciam; de qua re infra plura. Deinceps singillatim commonendum est, mirum prorsus videri, si testimonio Pii V. Libertatis Florentinae commentum sit velandum, propterea quod Pontifici Pontificem, hoc est Pio V. Paulum IV. opponere licet, praecedendi jus Ferrariensi Duci pro Florentino adjudicantem, interque alia hac utentem argumentandi ratione, apud AMMIRATUM, L. XXXII. *p. 463.* " che il Duca di Ferrara essendo feudatario della chiesa dovea pre„ cedere a ciascun altro, si l' Imperio fusse sotto posto; cui suffragatur ADRIANUS, *L. III. p. 160.* Porro habetur compertum, ac idem ADRIANUS, *L. XXI. p. 1520.* adstipulante CINIO, *nella vita di Cosimo*, *L. VIII. p. 489.* refert, Cosmum Magni Ducis honorem ab Imperatore partim Vindobonae, Concino legato flagitante, partim Florentiae, Archi-Duce Carolo ibi praesente, prius expetiisse, quam a Pontifice consequeretur, licet tunc, graves ob causas, tulerit repulsam, Philippo II. Hispaniarum Rege, itidem agnitionem recusante. Unde consequitur, Cosmum initio supremam S. Romani Imperii potestatem, hac quoque parte, summisso cultu et debito obsequio fuisse prosequutum, utpute quae pateretur minus, Pontificem in alienam messem immittere falcem, atque facultatem conferendi illustres dignitates, in Imperio soli Caesari omni seculorum memoria propriam ac reservatam, sibi adrogare. Quin etiam, quod apprime notandum, ipse Pontifex non tantummodo bis Bullae verbis diserte concessionem dignitatis constrinxit, ac causam, quae jura Imperii violare adeo videretur, explicavit: " Salva in nostris dictae provinciae (Etruriae) civitatibus „ et locis, nostra et Romanae Ecclesiae auctoritate, jurisdictione, et potestate, nec „ non Imperatoris et Regum superioritate, jurisdictione ac quibusvis juribus, etc. sed quoque nec Philippus II. Hispaniarum Rex, quocum Bullam Papalem communicaverat Cosmus, neque ullus alius Europae Principum prius novum Magni Ducis titulum isti adscripsit, quam Maximilianus II. Imp. publico Diplomate indulto, eundem fuisset benignissime elargitus. Quod ingenue fatetur ADRIANUS, *p. 1510.* commemorans, Florentinum hoc solo responso a Philippo fuisse dimissum: " che non vo„ leva far cosa contro alla dignità dell' Imperio; itemque CINIUS, *p 493.* qui, Venetorum Rempublicam, auctoritate Caesaris commotam, agnitionem praesertim denegasse, testatur. Neque ignota tandem Pii V. Maximiliano II. peculiari ratione infensi, consilia, maxime ad supprimendam potestatem Imperialem ac extollendam Hierarchiam Ecclesiasticam directa.

Argumentis, hucusque, ex contraria parte magnifico Testimoniorum nomine productis prolixe satis et accurate suppressis atque prostratis, prudentiores omnes intelligent, haud inanibus, quemadmodum *pag.* XXXVI. exclamant, ratiunculis, sive fallacibus momentis, et ineptis cavillationibus causam Imperii suffultam esse, sed ubivis terrarum potius immensam populi Florentini temeritatem summamque accusabunt ingratitudinem, utpote qui non erubescat, jus circa futuram disponendi successionem, eidem S. Imperio tot egregiis legitimisque titulis partum, neque unquam antehac in dubium vocatum, oppugnare, atque conditionem, *Articulo V. Foederis Quadruplicati* prudentissimae insertam, publice detestari. Certe S. Caesarea Majestas, atque Excelsi S. Imperii Ordines, itemque tot Potentissimi Europae Reges subjectionem Tusciae, ac dimanantem inde successionis praefiniendae potestatem publicis foederis initi Tabulis, itemque Comitiorum Decretis declaratam, minime forent adfirmaturi, nisi argumenta maximi momenti, eaque legitima, idem penitus persuaderent. Enimvero Florentinam ditionem a Carolo M. Imperatore usque Augustis et Italiae Regibus paruisse, tum infinitis rerum documentis, tum ipsorum Florentinorum repetita toties confessione habetur compertum, adeo ut simplicis venerationis ac reverentiae limites quam longissime eadem egrediantur. Adsunt quippe investiturae, adsunt juramenta fidelitatis et homagia, eaque non extorta, non astu quodam elicita; adsunt tot gratiosae Imperiales concessiones, quibus universus Mediceae Familiae Principatus innititur, ita, ut sine iisdem, ob clausulas, provide et sapienter adjectas, jure haud sustineatur, imo ex causa justissima, ob ingratitudinem, et inficiationem supremi dominii, ac denegationem justi obsequii, revocationis omnino corruat. Exserit se abunde itidem tot seculorum possessio, invicta gloriosissimorum Imperatorum potentia, virtute atque vigilantia, ad hoc usque aevum continuata, quae tam enixe et

 insigni-

insigniter jura Imperii in Civitatem Florentinam, ejusque Dominium comprobat, ut de praescriptiooe aliqua, istis adversante, nequidem liceat cogitare.

Ad praescriptionem immemorialem frustra provocatur.

Equidem, cum nihilominus *pag.* XXXVI, praescriptio immemorabilis, quam GROTIVS, *in Tract. de Mari Libero C. VII. pr.* scite *ultimum iniquitatis patrocinium* vocat, denuo jactetur, commonendum est DVCKII sententiam haud esse simpliciter improbandam, quum, multas Europae gentes, Romano Imperio quondam obedientes, declinante illo, libertatem plenam arripuisse, ac Regna propria constituisse, perhibet adeo, ut, easdem se adversus Romanorum Imperatorem sola tanti temporis praescriptione tueri posse, arbitretur. Nam praescriptionem adversus Imperium valere, lubeotet conceditur, neque opus est, ut JCtorum Italorum, CACHERANI, *Decis. 163.* MARTAE NEAPOLITANI, *de Jurisd. Part. I. C. 20. n. 21.* aliorumque opinio, talem exemtionis modum graviter redarguens, adminiculum probationis dominii illius supremi hic praebeat. Sed haec ad Florentinam ditionem perperam applicantur, utpote cujus perfecta Libertas, sicubi ex praescriptione sit derivanda, assertorum inconstantia et mirifica contradictione magis adhuc commentitia redditur. Dum enim in praescriptione praesidium collocatur, necesse est, ut praestruatur exemtio, quam iste titulus conciliarit. Exemtio autem facta necessario indicat, exemtam regionem olim Imperii jurisdictionem fuisse expertam, neque adeo cum originariae cujusdam libertatis jure, exemtione nulla indigente, unquam juste et accurate connectitur. His positis, consequitur, ei, qui praescriptionem libertatis adversus Imperium in exemtione collocat, incumbere onus probandi, quum omnis probatio in facto consistat, neque sit conjicieodum, intra fines ejusdem ditionem quandam deprehendi, quae sola potestatem civilem, nemini amplius obnoxiam, obtinuerit, reliquis adhuc dum qualitate clientelari, vel subdititia adfectis; quo pertinet praestabilis sententia Aeneae Sylvii, apud GOLDASTVM, de *Monarch. Imper. Tom. II. p. 1562.* Jam vero justum titulum, bonam fidem, possessionem diuturnam eamque nullo actu contrario interruptam, et alia ad praescriptionem exemtionis et libertatis debere conferri, tantum liquet, quantum est exploratum, plurimum differre, an libera gens, contra aeque liberam praescribat aliquid, an vero Vasallus, sive subditus adversus dominum directum, aut supremum, libertatem. Sed ubi nam bona fides? Ubi justus titulus? Ubi demum tot annorum continua possessio, quot ad praescribendam libertatem omni Jure requiruntur? Quamvis autem justus titulus ac booa fides liquido probari possent, tamen infiniti prope interruptionis actus iterum euncta ea subvertunt. Nonne enim praescriptio interrumpitur, si superior et dominus directus tribura ac servitia a praescribente mature exigat, privilegiorum concessione refractarios ad fidem servandam alliciat, lites exortas sententiis publicis et Decretis dirimat? Quos quidem actus Imperatores Romano-Germanicos, intra ipsos quoque Florentinae civitatis muros saepius exercuisse, non tantum ostensum jam dum fuit, sed, si necessitas rei exposceret, adhuc magis ex universa Augustorum serie ostenderetur.

Explicatur et declaratur Articulus V. Foederis Quadruplicati.

Nunc demum quidem *pag.* XXXVIII. *et* XXXIX. Libertatis Florentinae testimonium ex ipso *Articulo V. Foederis Quadruplicati* depromitur; at eodem successu infelici, quo testimonia Summorum Pontificum, Caesarum, Regum, JCtorum, aliorumque hucusque in scenam prodiere. Contextus enim *Articuli* satis docet, Libertatem Florentinam utique negari, ac supremum Imperii dominium praestrui, quum alioqui non potuisset ibidem facultas disponendi de futura successione justa ratione vindicari, vel Principatus, ante hac nulli arbitrio alieno obnoxius, in feudalem commutari; itemque S. Caesarea Majestas longe prius, quam Foedus fuisset percussum, non solum plenam totius causae cognitionem satis percepit ex iis, quae anno 1714. in Consilio Imperiali Aulico, Vindobonae, fuerant conclusa, ac solicite pervestigata, sed per Legatos quoque Ministrosque suos id fieri diligentissime curavit, ut Reges Foederati eodem de negotio exactissime instruerentur. Quapropter ubivis merito jura Imperii fuere agnita, ita, ut jam publice declararint, et veluti contestati fuerint iidem Potentissimi Principes, sese, etiam si forsan antehac in praejudicium S. Caesareae Majestatis ac S. Imperii Magnum Hetruriae Ducatum liberum vel exemtum, vel ad feminas transeuntem censuissent, *sine contradictione, pro indubitato S. R. Imperii* Feudo masculino in posterum fore habituros. Equidem cavetur insimul, ut Magnus Dux, Ejusque descendentes legitime et masculi quieta ditionum ac jurium possessione fruantur, neque pactiones ejusmodi ac provisiones ipsam imminuere, vel jacturae quidpiam adferre

ferre debeant, verbis: " absque ullo tamen damno aut praejudicio, salvaque per „ omnia Principum, qui dictos Ducatus in praesens obtinent, possessione. Neque nexus quidam feudalis temporis praeteriti, vel praesentis, expresse diserteque instar causae ac fundamenti Conventionis praesupponitur. At, antiquissimo Imperii dominio supremo tamen, ac obligatione Domus Mediceae arctissima, universae Europae cognitis pridem et perspectis, ac tot ubivis Annalium et Documentorum fide et consensione, perpetuam ad memoriam usque, celebratis, praecipue sanctio *Articuli Foederis*, publicae tranquillitatis conservandae atque stabilis et sinceræ pacis communis ineundae gratia, compositi, innititur, hac ratione, ut, cum priore aevo ditio Florentina vel feudum saltem improprium, vel allodium quoque exstiterit, exstincta Mediceae Gentis stirpe mascula eadem a futuro ac destinato Successore alia lege, nimirum feudi veri ac proprii, debeat possideri.

Quapropter, genuino *Articuli V.* sensu nunc explicato, abunde intelliget, quisquis veritatis amore est imbutus, atque saluberrimum et sapientissimum Invictissimi Caesaris, ac Potentissimorum Regum Foederatorum consilium, deliberato satis animo constitutum, debito venerationis cultu prosequitur, nequicquam hic de re aliena disponi, vel sine justa causa feudale vinculum firmari. Sufficit prorsus, possessionem ditionum et jurium integram ac illibatam Serenissimo Etruriae Magno Duci, hoc aevo regnanti, addita cautione et salutari clausula, servari, neque Domus Mediceae institutis provisionali dispositione damni aliquid conciliari. Sufficit, privilegiis et statu tis Senatus populique Florentini nihil unquam detractum fore, quousque eadem exercitium dominii directi legitimum haud impediant. Certe Juri Gentium et sanae rationi prorsus congruit regula, eum, qui suo utitur jure, nemini injuriam facere videri. Imo acta Divi Imperatoris, Caroli V. tantum non a destinatione ejusmodi ac dispositione abhorrent, ut potius innuant, stirpe Domus Mediceae mascula decedente, universum dominium Florentinum ad Imperii potestatem, instar domanii cujusdam, redire, atque adeo in ejusdem arbitrio positum esse, utrum pristinam liberi regiminis formam velit restaurare, an vero aliis gubernationem et administrationem rei publicae demandare.

Jus disponendi de successione perfectae Libertati non semper cohaeret.

Quid igitur causae, tot inutiles et vagas nunc excitare querelas? Neque vero opus hic fuerit unquam, ut potestas constituendi ac nominandi successorem vel a Principe, vel a populo demum impetretur. Commento enim Libertatis Florentinae corruente, facile apparet, Magnum Etruriae Ducem omni facultate circa successionem quid praescribendi esse destitutum. Etenim compertum est, Suprematui itidem, si quis hic evinci posset, haud semper potestatem ejusmodi esse connexam. Nam etiamsi, tacite, vel expresse actu investiturae, praestatione sacramenti fidelitatis, solutione tributorum etc. remissis, imo casibus feloniae constrictis, perfectae Libertatis species conciliari censeatur: tamen remissione ac indulgentia tali non continetur libera de Principatu disponendi facultas, quam, eum sit res maximi momenti, alienasse superior perperam existimatur. Certe, sicubi Jure Gentium, docente GROTIO *de Jure B. et P. L. I. C. 3. §. 23. num. 3.* sit expeditum, etiam foedere inaequali junctum saltem liberam circa successionem in ditiones suas dispositionem minus sibi adrogare posse, ac sicubi constet, nequidem Principem quendam clientem sine praescitu et voluntate protectoris eo casu quid validi definire; multo magis Magnus Etruriae Dux hinc abstineat, par est; cujus quippe majores, non sua auctoritate et potentia innixi, sed privilegiis Imperatoriis, publicisque Diplomatibus, limitate conceptis, communiri, Tusciae imperium obtinuerunt, longe alio jure, quam foederis inaequalis, vel protectionis et clientelae simplicis, concedentibus reservato.

Populus Florentinus nihil prorsus juris circa definitionem successionis sibi debet adrogare.

Quum igitur a Principe ipso potestas, qua nunquam fuit instructus, accipi nequeat, multo minus hic auctoritas quaedam populi Florentini locum sibi vindicabit. Etenim non solum Electio Cosmi I. adstricta ad Decretum Caroli V. prorsus fuit, ac, etiamsi hujus intentioni congrueret, expressa et solemni indiguit confirmatione, sed itidem populus iste omni circa ordinationem futurae successionis contradicenti jure prorsus est destitutus eadem ratione, qua restaurationem pristinae immedietatis et libertatis, ante constitutum Principatum Mediceum possessae, urgere ipsi haud licet, vel, citra voluntatem S. Caesareae Majestatis, praetextu cujusdam Libertatis, sive exemtionis, novam reipublicae formam et administrationem stabilire. Quapropter omnino

est pro-

Electio sexus feminei, e Domo Medicea, plane irrita.

est profitendum, solemnem electionem istam, qua Serinissima Electrix Vidua Palatina vocata fuerit, pro irrita plane ac illegitima babendam esse. Decretum enim Caroli V. unde praesertim controversia est dijudicanda, diserte masculis solummodo Familiae Mediceae prospicit, atque adeo feminas, feudorum ac Principatuum regulariter incapaces, ab omni successione arcet, pariter ac Maximilianus II. Imperator, a Magni Ducis axiomate usurpando, his Diplomatis verbis: " descendentes in infinitum, „ *masculos*, legitimos et naturales, ac illis deficientibus, vel non exstantibus, proxi„ miores masculos ex Medicea familia, etc. Quae Sacratissimorum Imperatorum Constitutiones adeo sanctae merito observandae, ut ii, qui eam, jurisjurandi, a majoribus praestiti, nulla habita ratione, violant, non solum temeritatem suam omnium saniorum ludibrio exponant, sed quoque indignationem poenamque sua sponte incurrant, in Decreto Carolino adversus transgressores graviter ac severe sancitam.

Vindicantur Argumenta Juris Imperialis, et ab objectionibus liberantur.

Subsistendum autem merito hic, ac Confutationi finis imponendus foret, nisi conspiceretur, *pag.* XXXIX. *et seqq.* argumenta, ad infringendam Libertatem Florentinorum imaginariam collineantia, denuo oppugnari. Quare, ne intactum quid vel praetermissum videatur, omnino referat, dubia, quae excitantur, resolvi, jus Imperii a quibuscunque objectionibus reliquis vindicari, atque adeo gloriam et praeclaram famam illorum, qui, hactenus, tam ipsis rerum documentis strenue ac fortiter illud defenderunt, quam monumentis literarum solide ac prudenter declararunt, in tuto collocari.

Principio autem animadversione est dignissimum, commentum, de venditione Rodolphina jurium Imperii, variis Italis Scriptoribus, utpote BLONDO, PLATINÆ, SIGONIO, aliisque ingeniose excogitatum, adeo nunc quidem in ipsa Italia explodi, atque contemni, ut *pag. XL.* ingenue ostendatur, Florentinos itidem fabulam perspectam plane cognitamque habere, nunquam concessuros, ut ipsorum Libertas tam ludibrico nitatur fundamento. Quapropter nihil attinet, hic aliquid de re commemorare, CONRINGIO, et aliis pridem excussa; sed potius propria Florentinorum confessio quam utilissime accipitur. Attamen facile perspicitur insimul, ingenuae hujus confessionis causam praesertim VINCENTIVM BORGHINIVM subministrasse, ante cujus quippe tempora Florentini nullum aliud Libertatis testimonium proferre potuerunt adeo, ut potius in donatione et venditione Rodolpbina ficta omne praesidium collocarint suum; quemadmodum ex ipsis domesticis eorum scriptoribus passim apparet. Deinceps existimatur merito, si inter tot fabulas aliqua alteri sit praeferenda, tutius longe fidem iis esse tribuendam, qui originem atque initium Exemtionis Florentinae a Rodolpho I. arcessunt, quam BORGHINIO, Libertatem aliquam, quae una cum ipsa civitate constructa veluti et coorta fuerit, superbe jactanti. Enimvero supra demonstratum pridem fuit, Florentiam, Longobardis oppressis, imperio Francorum prorsus cessisse, ab ipso Carolo M. egregie instauratam, neque Libertatem ipsius discretam fuisse ab illa, qua aliae identidem Longobardiae ac Tusciae urbes, beneficio imprimis Ottonis M. Caesaris, utebantur. Neque, ipse BORGHINIVS diffitetur, Carolingorum aevo Regum, Comites quoque Tusciae civitatibus cunctis fuisse praepositos, usquedum, eodem Ottone M. Italiae Regnum perpetuo jure Imperio Romano-Teutonico vindicante, forma ac regula per Comites urbibus imperandi ferme abrogaretur, et hisce indulgeretur facultas, propria auctoritate Consules et Senatores sibimet deligendi, qui in posterum publicam rem gubernarent,jure Imperii utique integro permanente. Scriptores autem, ad quos BORGHINIVS provocat. censuram eandem promerentur, quam ii, qui, undiquaque gentium anxie collecti, instar testium, hic, ex parte adversa, excitantur. Profecto, si BORGHINIVS, vel alius quispiam voluit Libertatis consummatae, quam vocant, originem altius repetere, cur minus Historicos, qui antiquo aevo illo floruere, dogmati firmando erueret potius? Cum autem ii, qui de Caroli M. et subsequentium Imperatorum expeditionibus, in Italiam praeclare susceptis, commentati, EGINHARDVS, LVITPRANDVS, alii, de perfecta Florentinae civitatis immunitate sileant, ac nihil e coaevis istis Annalibus et Historicis, qui ante Rodolphum I. vixere, pro evincenda illa adduci potuerit, liquet illico, quam leviter BORGHINIVS patriam suam, quicquid desudaret, suprematu gaudere, contenderit.

Refellitur BORGHINIVS, originariam Libertatem jactans.

Causa Florenti-

Ea vero, quae *pag.* XLI. *et* XLII, adversus istos, qui praescriptionem adversus Imperium Romanum locum obtinere, negant, disceptantur,ad quaestionem inutiliter accom-

accommodantur, quum minime consequatur, sententia illorum reprobata, Florenti- *nae Li-*
nos Libertatem imaginariam suam, auxilio praescriptionis adhibito, tueri posse. Nam, *bertatis*
quamvis eo casu praescriptionis legitimae et satis perspectae negotium omnia exhau- *praescri-*
riat, nec major fere probatio desiderari possit, sicubi nullus actus, qui refragetur, vel *ptione*
interrumpat, in medium idonea ratione proferri queat; tamen nemo crediderit un- *frustra*
quam, potentissimis Europae Regnis, v. c. Galliarum, Hispaniarum, Britanniae, di- *inniti-*
tionem Florentinam aequiparari posse, ab Imperatoribus Romano-Germanicis toties *tur.*
proscriptam, perfidiae damnatam, ad homagium, contributionesque justissime adactam, Regno Italiae semper arctissime innexam, atque finibus Imperii solicite comprehensam; quum contra Regnis istis, ante plura jam secula sui juris redditis, quaestio status haud fuerit mota, neque liberrima istorum potestas unquam facile in dubium fuerit vocata. Quapropter concluditur, quaestionem de provinciis, dudum ab Imperio Romano veteri exemtis et plane avulsis, incongrue hic resuscitari, ubi tantummodo jus Imperii Romano-Germanici ac Regni Italici in Etruriam recentius exponendum est, atque disceptandum.

Deinceps *pag.* XLIII. *et* XLIV. BODINVS, Gallus, de egregio Maximiliani I. *Defen-*
Imp. facto, ac secundo illius in Italiam adventu disserens, tum ex CAMILLO GILI- *ditur*
NO, tum ex GVICCIARDINO falsi coarguendus esse censetur. At Scriptorem istum, *BODI-*
alioquin Imperii Juribus infestum, quemadmodum veritatis vis, quae nunquam pror- *NVS,*
sus infringitur, sed praeter opinionem non raro prorumpit, eo compulit, ut, excepta *concilia-*
Venetorum Republica, Principes Italiae a clientelis haud exstare liberos, distincte ad- *tus I. GI-*
firmet in *L. I. de Republ. C. 9. n. 122. et 125.* ita hic itidem officio sinceri defunctum *LINO.*
fuisse Historici, neque cum GILINO inimice collidi, exacte jam est demonstrandum. Enimvero, ut res probe capiatur, commonendum, isto aevo Italiam in duas ferme scissam fuisse partes, quarum una Caesari et Foederatis contra Gallos addicta erat, altera horum castra sequebatur. Ab iis, qui foedus adversus Gallos contraxerant, Italiae Civitatibus et Proceribus discesserat Florentia, ipsum Carolum IIX. e Regno Neapolitano rejectum, ac in Franciam reversum, ut rediret, flagitare non erubescens. Igitur Florentinos Caesar merito admonuit, ut, Gallorum partibus derelictis, ceteris Italiae civibus semet adjungerent, auxilia Imperio ferrent, et, prouti subditos, acceptorum beneficiorum memores, deceat, ejusdem causam ubivis propugnarent. Non solum autem Oratores Imperatoris declarasse Florentinis, ex verbis GILINI liquet, quod in memoriam deberent revocare, quot, quantaque civitas a priscis Caesaribus obtinuerit, neque ingratitudine et perfidia, omni poena ac privatione dignissima, beneficia pensarent; sed illa innuunt itidem, Florentinis gratiam Caesaris ea conditione fuisse promissam, si Gallicae societati ipsi renuntiarent, ibi; " a se quoque paria expectari posse, si Florentini, etc. Annon autem haec formularum genera saltem vindicant sibi locum, ubi superiorem inter et subditos res agitur? Annon Maximilianus ad ea respexit privilegia, a prioribus indulta Augustis, integra utcunque Imperii facultate? Neque Imperator, majestatis suae gravissimus vindex, cum foedus forsan cum Florentino populo condere voluit, quandoquidem proprium jus foederum inter illos, quia se invicem minus pendent; magis exercetur. Potius jussit, " ut Florentinus populus in aliorum Italorum Societatem trahatur; prouti verba GILINI exprimunt. Ac, quamvis subtiliter nimis rem aestimans verba GILINI in favorem causae Florentinae satagat detorquere; ibi; " si fieri potest amice, it. vetustiores amicos, " ac plura majora de eis meritos, videlicet Germanorum Imperium, ac Caesarem " praesentem sequantur; nihil flectit. Nam quis scierit certo, Oratores Caesaris iisdem verbis fuisse usos, quae GILINVS profert? Scriptori Italo isti, parum cognito, nisi FREHERVS, *T. III. Rer. Germ.* edidisset, ubivis fides vix est tribuenda. Ac, si Oratores Caesaris mitius rem proposuerint, ideo factum est, quod subditos, opibus valentes, benignitate magis, quam verbis nimium asperis, ad obsequia revocare, aliquando conducat. Quin Florentini paulo post, quum, nummis probe emuncti, ac largis vanisque exterorum pollicitationibus decepti, resipuissent, in sinum Imperii, debitae summissionis lege, iterum irrepsere, quum ann. 1501. inter alia subjectionis signa, promiserint, sese Maximilianum, si Romam forte proficisceretur, centum cataphractis comitaturos eosque in Italia per integrum annum sustentaturos suis sumtibus, apud NARDIVM, *L. IV. p. 128.* ibi; " di servire la Maestà Cesarea delle cento lance per Italia.

Conci-

II. GVICCIARDINO.

Conciliato GILINO itaque, conciliandus quoque BODINO GVICCIARDINVS, utpote cujus locus, *pag.* XLVII. et seq. late exscriptus, iterum huc minus quadrat. Neque CONRINGIVS, *de fin. Imp.* C. XXIII. *§. 11.* ad istum provocat, qui *L. III. Hist.* GVICCIARD. *ad ann. 1496.* comprehensus, potius ad eum, quem *L. IIX. ad ann. 1509.* exhibet, ubi Scriptor Florentinus memorat, Florentinos Veronae cum Maximiliano convenisse, *di pagargli in breve 40000. Ducati*, eosque confirmationem privilegiorum in forma amplissima, tum intuitu libertatis, tum dominii ac jurisdictionis, impetrasse. Annon vero haec relatio consentanea BODINI narratis? Vtrumne ideo Florentini legatos ad Caesarem misere, ut obsequium praestarent, et imperata facerent? Cur enim in perfecta Libertate constitutis, fuisset opus confirmationem privilegiorum, publico Diplomati inserendam, in forma amplissima expetere, et tantam pensionem praebere? Certe inter gentes liberas nullibi receptum, ut, cum semel summi imperii jus adquisitum, illud toties et modo eodem corroboretur, quo privilegia cujusvis generis, subditis indulta, a Principibus initio regiminis rata haberi solent atque debent. Praeterea eandem pecuniae quantitatem, Caesari adsignatam, quam BODINVS innuit: *aureorum quadraginta millibus*, exponit itidem GVICCIARDINVS, *40000. Ducati.* Quod autem singillatim privilegiorum confirmationem attinet, neque dissentiunt, uti vel inspicienti patet. Saltem eo discrepant, quod GVICCIARDINVS donationis, aut venditionis Rudolphinae nullam injiciat mentionem, a BODINO narratae. Verbo autem: *precario*: si non usus fuerit GVICCIARDINVS, amore patriae ducto hic et rationem confirmationis, conditionemque, cum Libertatis Florentinae commento minime convenientem, confestim praetereunti, facile ignoscitur. quum id hic nihil efficiat. Ne autem Scrupuli quid haereat, vel locus AMMIRATI, *L.* XXIIX. *p. 280.* aliquem decipiat, producendum est testimonium NARDII, *L. V.* quibus ingenue fatetur, datam ingentem pecuniae summam in compensationem debiti census, per aliquot annos non soluti, et impetratae a Maximiliano I. investiturae.

Compositio Veronensis.

Sic enim *pag. 212.* perhibet: " L' Imperadore in Verona essendo stato
,, visitato da gli Ambasciadori Fiorentini, fu conchiuso con sua Maestà un accordo,
,, nel quale s' hebbada quella una fine generalissima di tutto quello, che la città nostra
,, dovesse dare insino a quel giorno alla Camera Imperiale, così per censi anticamente non pagati; come per qualunche altra ragione, e cagione. Et oltre a ciò
,, per la investitura, di tutto quello, che possedesse la città di presente. In ricompenso delle quali tutte cose se gli promise ducati quaranta mila per dovergli pagare in trè diversi termini; et iterum *p. 256.* I nostri posteri potranno ricordasi, che
,, la nostra patria in questo stesso tempo, ch' ella fù assaltata da Papa Giulio si viveva
,, lieta e sicura sotto la sicurtà e fede di Massimiliano Imperadore mediante la composizione et accordo fatto fra la sua Cesarea Maestà, e gli Ambasciadori Fiorentini
,, a tale effetto mandati l' anno 1509. nella città di Verona. Per la qual composizione et accordo fece quella Maesta fine generale di tutto quello, ch' ella doveva
,, alla *Camera Imperiale*, così per censi non pagati, come per ogni altra ragione, et
,, eziandio per la *investitura* di tutto il territorio, che in fino à quel di ella possedeva
,, in qualunque modo aquistato. Ex quibus locis, quibus addendus aliis, *L. IV. p. 127.* ubi civitas Florentina vocatur *fedele del sacro Imperio*, Diploma Maximiliani I. quod *N. XV.* nequidem integrum exhibetur, merito supplendum est.

Jurisdictio Imperialis in causa Pisana a Florentinis agnita.

Qum ergo jam fuerit evictum, CONRINGIVM oscitantiae cujusdam perperam incusari, ipsumque, quum GVICCIARDINVM, veritatis, a BODINO prolatae, testem producit, minime de causa Pisana, sed de Veronensi conventione loqui; demonstrabitur quoque, ne quid intactum relinquatur, ex ipso GVICCIARDINO, in *L. III. ad ann. 1496.* quam perspicue Florentini jurisdictionem Caesaream tum agnoverint. Quum enim Caesar exigeret a Florentinis, ut Italiae defensionem quoque susciperent, nec cum extraneis contra salutem Imperii quidpiam molirentur, vel Pisanos injuriis amplius lacesserent, donec causa fuisset cognita, satis declaravit, iis, utpote Imperio pridem obstrictis, foedus in praejudicium illius ineundi facultatem haud competere, et cognitionem litis, inter ipsos et Pisanos agitatae, solum a Caesarea auctoritate expectandam esse, verbis: " che si apparteneva all' autorità Imperiale, cognoscere la differenza tra loro ed i Pisani. Quae verba jurisdictionem tam clare innuunt, ut neque cum Arbitri, neque Mediatoris, nec alio officio consistere possint.

possint, Ac, vi hujus jurisdictionis, inhibitionem, quae illam praestruit, simul decrevisse Imperatorem, itidem liquet ex iis, quae subsequuntur: "e pero desiderare, „ che per insino a tanto fussero udite da lui le ragioni di tutti, si sospendessero le of- „ fese, come era certo, che farebbono i Pisani, a i quali aveva comandato il medesimo. Neque praetereunda, quae ibidem de declaratione Caesaris benignissima: "af- „ fermando con umane parole essere apparato ad amministrare giustizia indifferentemente; traduntur. Hic vero Florentini, Caesarem de ista causa judicium ferre posse et debere, tantum abest, ut negarint, ut potius honorificis verbis Maximiliani voluntatem commendarint, ac, maximam sese Augustae aequitati et gratiae fidem habere, demonstrarint. Saltem per Legatos monuere, jura sua cognitioni et sententiae ut subjicerent, prius vix adigi se posse, quam Pisae, qua urbe per vim spoliati, fuissent restitutae. Igitur, prout in omnibus aliis judiciis fieri solet, quaestionem spolii praejudicialem, praesertim Pepio, JCto, causam orante, movetunt Florentini, ac prorsus ad Imperialium legum sententiam ac dispositionem provocarunt, verbis: "nè „ convenire alla sua giustizia, che chi era stato spogliato violentemente, fusse, con- „ tra la disposizione delle *Leggi Imperiali*, astretto a far compromesso delle sue ra- „ gioni, se prima non era reintegraro nella sua possessione." Reliqua etiam comprobant, Florentinos Caesari semet submisisse, et causam Pisanam coram ipso, tanquam Judice competente, voluisse pertractare, ibi; "e confindandosi pienamente nella sua „ giustizia, rimetterebbe in lui pienamente la cognitione delle sue ragioni. Arbitrium autem quoddam ex GVICCIARDINI relatione frustra elicitur, quum illa vox accipiatur quoque saepius pro arbitrio *judiciali*, a compromissario longe distincto, Nec de arbitrio hujusmodi proprio, Caesari ab utraque parte delato, ullibi disseritur. Interim petitionem Florentinorum de restitutione spolii merito rejecit Imperator, cum animadvertisset, ipsos, hoc praetenso, id agere, ut intentionem justissimam eliderent. Nam etiam sine possessione Pisarum Florentia debuit aliis civitatibus, patriam defensuris, se conjungere. Neque aderat spolium, ubi civitas libertatem, injuria perditam et oppressam, recuperaverat, aliorum praesidiis adjuta. Quare Maximilianus, proterviam Florentinorum aegre ferens, deinde ad debellandos istos progressus, Pisanis haud sine legitima causa favens. Exitus felix, nisi alia negotia, majoris momenti, Caesarem impediissent, juri suo, reditu in Germaniam suscepto, nihil renuntiantem, imo magis illud post hac strenue exercentem; uti paulo ante fuit demonstratum. Vnde jam apparet, tum non fuisse actum de tuenda libertate, vel exemtione quadam adversus manifesta Imperii jura, sed ideo Florentinos a fide debiti obsequii defecisse, quod Imperator immunitatem a regimine Florentino, Pisanis indultam, revocare haud dignaretur; atque adeo GERARDVM *de* ROO perperam excitari, utpote qui potius de contumacia Florentinorum testatur, et *L. XII. ad ann. 1509.* jura Imperii non parum illustrat. Certe mirandum merito, cur Pisae in Diplomate de ann. 1509. haud fuerint expressae; itemque notandum, verba, *ad omnem cautelam et quemlibet juris effectum*, ita explicari etiam posse meritoque debere, ut intelligatur, confirmationem privilegiorum, ab Imperatoribus concessam insigniter juri Imperii supremo prodesse ac cavere; utpote quod intuitu ejusdem civitatis, ac ipsius Dominii nequidem ex parte adversa, ubi altum hac de re silentium, in dubium vocari videtur, neque ideo, etiamsi de plena Florentiae Libertate constaret, potest, quod non solum Florentini, Pisas juris Caesarei esse, agnoverint, sed quoque exemtio hujusmodi pagorum immediatorum (quo pertinent itidem Volaterrae, Aretium, etc.) contigerit integra utcunque Imperii potestate, ac eadem ratione, qua Civitate saepius in Germania a potentioribus Statibus exemtae atque ex membris Imperii immediatis mediata effectae sunt. Qui quidem pagi, agro Senensi et aliis Magni Ducatus particulis feudalibus, maximam illius partem efficientibus, juncti, cum ad jus Imperii, ex ipsa Florentinorum confessione, tum expressa, tum tacita, liquido pertineant, Libertas illa, adeo jactata, in limites satis angustos, necesse foret, redigeretur, ac ipsis veluti Florentinae urbis moenibus coarctaretur.

Territorium Pisanum, ipsis Florentinis haud inficiantibus ad jus Imperii pertinet.

Jam vero *pag.* XLVI. *et* XLVII. mirifice invehitur in PAVLVM JOVIVM quod ex instituto rationem docuerit, qua Medicea Domus ad Principatum Florentinum pervenerit. Hinc testimonia VOSSII, LIPSII, itemque BRVTI, Historici e patria pridem proscripti, producuntur, qui JOVIO venalis encomium Scriptoris tribuerint. Sed, quicquid judicent alii, praecipuis tamen recentioris aevi Historicis adnumeratur;

Defenditur JOVIUS.

ac to-

ac totam rem non ex ingenio effinxit ille, potius ad Diploma Carolinum ubivis provocans, quod pro norma hic praecipua habendum est. Certe Episcopi Nucerini hujus auctoritas in rebus Florentinis omni exceptione major censenda est, partim quod publica diligenter monumenta eruit, ac ea, qua scripsit, aetate floruit, partim quod in Florentinis, a FRANCISCO GVICCIARDINO, patricio urbis et Senatore, plura se didicisse, grata mente professus, in *L.* XXXIIX. *p. 162.* et alibi. Ipse SCIPIO AMMIRATVS, Florentinus Canonicus ac Historicus magni nominis, in recensendis rebus, ann. 1529. et 30. Florentiae gestis, JOVIVM imprimis est secutus, ita, ut NARDIO quoque praeferat, in *L.* XXX. *p. 391.* Nec ignotum BENEDICTI VARCHII, Florentinae Historiae qui parens dictus, carmen, quo nobile JOVII, qui itidem extremos vitae annos Florentiae transegit, ibique decessit, opus, ipsius Cosmi Ducis, uti apparet, instinctu editum, adornavit. Quin MVRATORIVS, *C. XXIV. des Droits de l' Empire sur l' Etat Ecclesiastique*, *p. 241.* novissime dexteritatem ejusdem Historici probe tuetur. Tractatus Barcinonensis *Articulus IV.* ad praesentem materiam nihil conducit, ac, prouti genuine jamdum explicatus fuit, auctoritatem Imperialem magis designat. Nec JOVIVS a GVICCIARDINO dissentit. Equidem, si Historicus coaevus partium studii aliusve vitii coarguatur, liquido probandum est, illi cum aliis Scriptoribus, itidem coaevis, minus convenire; hos autem, dissidentes, e documentis, fide dignioribus, sua deprompsisse.

Vindicantur argumenta Juris Imperialis, Diplomate Carolino innixa.

Sed argumenta, ex Decreto Caroli V. Imp. pro evincendo Imperii jure dimanantia, quo successu ex parte adversa refellantur, nunc quoque gnaviter est indagandum. *Primum* vero argumentum a confirmatione privilegiorum Civitatis Florentinae, ibidem gratiose expressa, praeter alios complures, CONRINGIVS atque DECIANVS merito reperiunt. Equidem *pag.* XLVII. *et* XLVIII. DECIANO id quoque objicitur, quod, se exemplum Decreti Caesarei, Alexandrum Ducem caput Reipublicae Florentinae constituentis, haud vidisse, fateatur; itemque CONRINGIVS eam ob caussam pro Supremo Imperii dominio frustra pugnare existimatur, quoniam is in *Praefatione*, se labi posse, declaravit. Verum, quod ad DECIANVM attinet, iste nihilominus originem Principatus Medicei, et Libertatis Florentinae conditionem satis habuit perspectam; neque huc refert, cujus notae auctor habeatur, cum ipsius testimonio nec CONRINGIVS nitatur, nec nunc sit nitendum. Deinceps ejusmodi ingenua confessio, quam idem CONRINGIVS edidit, majorem Scriptori conciliat auctoritatem, quam si, se nec fallere, nec falli, arbitretur. Sufficit, illum hac in causa amori erga Germaniam haud nimis indulsisse, utpote qui, ubi jura Imperii in dubio versantur, malit judicium suspendere, quam, defensa audacter ejusdem causa, Principum aliorum jura violare. Itaque CONRINGIO magis id circo obtrectari videtur, quod larvam Suprematui Florentino optime detraxerit. Objectio autem ipsa, quae movetur contra effectum concessionis privilegiorum, eorumque confirmationis, sobrie si inspiciatur, facili negotio eadem profligatur. Etenim regula Juris manifesta adest, quae eo redit, ut privilegii concessio certissimum constituat jurisdictionis argumentum. Privilegium est jus quoddam singulare; juris autem omnis generis condendi potestas ad eos spectat, qui summo in republica imperio eminent. Ab hac privilegii indole multum distat aliorum jurium datio. Nam quandoque gens libera alteri facultatem, vel immunitatem in ditionibus suis indulget, titulo servitutis, aliove, exercendam ita, ut, quae concessit, jurisdictionis actum minus perficiat, et lubenter quilibet agnoscat, nihil damni accersere supremae Regni Lusitaniae potestati, si Magnus Tusciae Dux Lusitanis exemtionem a vectigalibus in suis terris conciliaret. Verum si haec ad Florentinos accommodentur, non id impetravere solum a Caesaribus, inque primis Carolo V. ut "omnibus privilegiis, gratiis, exemtionibus, et Li-„ bertatibus per totum Romanum Imperium, ac ubique locorum et terrarum utan-„ tur, fruantur, et gaudeant; sed privilegia, proprio territorio demum connexa, atque in ejusdem augmentum et utilitatem comparata, itidem obtinuerunt. Friderici I. Imperatoris, adhuc aevo, omnia prope Regalia, praesertimque majora, in Longobardia, ac Tuscia, et alibi in Italia, apud Caesarem perstitisse, ex SIGONIO, et aliis Scriptoribus abunde colligitur. Quomodo igitur Florentini jura, quae in proprio fundo saltem locum sibi vindicant, nec illum egrediuntur, acquirere potuerint, nisi beneficio Imperiali? Ipsi Veneti nequidem diffitentur, plurima ejusmodi jura ipsis ab Imperatoribus sensim et Italiae Regibus fuisse indulta; cujus rei exemplum profert

Concessio privilegiorum arguit supremam jurisdictionem.

Auctor

Auctor Scrutin. Libert. Venet. C. XVI. §. 49. Neque interest, an Regalia jura expresso Diplomate, an vero praescriptione, aut consuetudine invaluerint. Praescriptio enim Regalium, quae a subditis perficitur, privilegii taciti; quod, effectu juris, expresso aequipollet, vices sustinet. Quinimo non privilegia mercaturae gratia ab Imperatoribus extra fines territorii Florentinis concessa leguntur, sed jura diversi prorsus generis; ac iis a superiore adscribi saltem consueta, qui, summa potestate civili prorsus destituti, illius jurisdictionem agnoscunt, utpote jus cudendae monetae, statuta sanciendi, academiam condendi, et alia. Id quod prorsus evincunt etiam tot privationis sententiae in Florentinos olim latae, nec non comminatio, ipsi Diplomati Carolino serio inserta, verbis: si quando dicta respublica Florentina hoc
„ regimen, etc. violare, etc. audebit, tanquam Nobis ac Rom. Imperio, ingrata, re-
„ bellis, et inobediens, etc. gratiis, aliisque omnibus, et singulis privilegiis, etc.
„ eidem a Praedecessoribus Nostris Rom. Imperatoribus et Regibus, et sacro Rom.
„ Imperio, quomodolibet, et ex quacunque causa concessis, privata, etc. Neque Juris Gentium ratio comminationes hujusmodi ac clausulas revocatorias patitur, a privilegiis, quae ob mercaturam, etc. conferuntur inter gentes, eorumque formula longe remotas. Etenim gens libera, sicubi in alieno territorio jure quodam per modum privilegii, sensu vulgari ac improprio accepti, utatur, idem non admittit legitime, nisi abusus adsit, vel belli exorti forsan causa commercium omne tollat, atque adeo pactionis, aut consuetudinis effectum infringat, et impediat. Contra Florentini haud raro privilegiis ac beneficiis Imperatorum, ob ingratitudinem ac perfidiam, in poenam, quae subditis tantummodo irrogari solet, indigni judicati, sic, ut opus fuerit, privationem summisse deprecari, ac crimen commissum, ingenti mulcta soluta, expiare; prouti exemplum, sub Carolo IV. memorabile ostendit. Ac confirmatio quoque jurium, possessionum, et speciatim *jurisdictionis*, qualem a Maximiliano I. obtinuere, dationem quandam et subordinationem necessario praesupponit, quum ineptum foret, gentis, in summa libertate constitutae, potestatem civilem ab alio firmari et comprobari. Concluditur ergo, clausulam, de privilegiorum usu generali ac per universum Imperium Romanum extenso conceptam, id saltem operari, ne alii ejusdem Imperii subditi exercitium impediant, vel aliquid committant, quod factae concessioni adversetur. Cum enim superior privilegium indulget, praecipi una solet, ut reliqui privilegium hoc agnoscant; alioquin aemulatione ac invidia reliquorum facile eliderentur. Neque apparet ullibi, Florentino populo a Caesaribus assignata, quae per totum Romanum Imperium, adeoque ultra territorii limites in ditione veluti aliena valerent exercere, immunitate nunquam a vectigalibus parta vel aliis praestationibus, quae, usu Gentium ac moribus Imperii, a cujusvis regionis domino et superiore exigi consueverunt. Itemque vox: *gratiis*, non obscure innuit, velle Caesaram, ut Florentini pro veris civibus Romani Imperii habeantur, qui jus civitatis vere adepti fuerint; quod olim, si tuitio, ab Imperatoribus contra hostes quoslibet promissa saepius et praestita, convocatio ad Imperii Comitia, etiam Teutonica, via mandati utique peracta, et alia considerentur, praecipue se exseruit. Si cives Romani Imperii Florentini non exstitissent, sed separatam ab illo gentem, sui juris reditam, effecissent, cur Comitiis, imprimis Italicis, debebant immisceri, defensionem ab Imperatoribus petere, ad privilegia Caesarea provocare?

Nervus verborum: utque in fide et devotione perpetuo maneat, explicatur.

Objectiones vero, quae adversus Argumentum *Secundum*, causae Imperii egregie inserviens, et a verbis Diplomatis Carolini; "*utque in fide et devotione perpetuo maneat*, desumtum, *p.* L. LI. et LII. proferuntur, pariter nullius sunt momenti. Etenim tot deprebenduntur hic tituli, qui, praeter simpliceem protectionem, supremam potestatem quandam et jurisdictionem Imperii designant, adeoque praecedunt, ut plures nequeant amplius desiderari. Nonne titulus idoneus, cum populus tributa praestat, ac privilegia intuitu proprii agri expetit? Annon titulus, cum Edicta publica emittuntur, et civitati praecipitur, ut obsequia exhibeat, nec contra Imperium quid moliatur? Verumne titulus maximi ponderis, sicubi civitas, criminis laesae Majestatis damnata, pristina regiminis formae libertate exuitur, perpetuus Imperii Gubernator imponitur, ac novus status auctoritate publica introducitur? Quid ni titulus, cum Principi cuidam dignitates adjiciuntur publicis Diplomatibus, quas gentem liberam alteri concedere non posse, mox demonstrabitur? Igitur, tot titulis exstantibus

tibus, verba, *fides devotio*, haud frustra in privilegiis passim fuere expressa, sed id circo potius, ut jus, Imperio pridem partum, nullo non aevo firmaretur, ac declararetur. Equidem non adeo est diffitendum, vocem: *fides*, sensu improprio acceptam, interdum protectionem tantummodo innuere, quae jurisdictionem minus pariat. Attamen regulariter ac quotiescunque publicis Diplomatibus *fidei*, aut *fidelium* injicitur mentio, vasalli, vel subditi merito intelliguntur. Is enim constantissimus semper Caesarum, atque Summorum Principum usus exstitit, ut Diplomatibus et Edictis publicis subditos *fidelium* nomine compellarint; uti Chartae infinitae evincunt. Jure Feudali Longobardico, secundum cujus normam quoque quaestio est dijudicanda, quia de Italico disquiritur territorio, vox: *fides, it. clientela*, utique pro simplici protectione minus sumitur. Praeterea vocabulum: *devotio*, si juste indoles ejusdem expendatur, nunquam cum simplicis advocatiae jure consistere potest. Nam idem illud insignem denotat obedientiam, ac de ipso tributo, vel tributi illatione saepius explicatur, quum devotionis vis in tributorum solutione apprime semet exserat, imo haec illius deprehendatur effectus; quemadmodum interpretatur CAROLUS du FRESNE, *Part. I. Glossar. T. 2. f. 72.* Quare nunc apparet, exemplum, a foedere, ann. 1499. icto, depromtum, ubi Florentinos in fidem recipit Ludovicus XII. Galliarum Rex, perperam hic excitari, propterea quod universus foederis illius contextus de sola protectionis materia ac mutuae loquitur defensionis, neque Reges Franciae unquam de jure quodam supremi dominii in Tusciam acquirendo cogitarunt; quale contra Carolus V. Imp. omnino praestruxit, Reipublicae Florentinae, privatimque Familiae Mediceae, in foedere, cum Clemente VII. Pontifice ann. 1525. inito, sese *protectionem ac patrocinium suscepisse*, in literis, subsequenti anno ad eundem Pontificem scriptis, declarans. Eadem ratione exponendus est *Articulus XIV. Tractatus Barcin.* ubi Imperator de Familia Medicea, qua Pontifex etiam comprehensus, tuenda et restituenda animi sensa benignissime expromit, singulare quoddam *Protectorium* veluti impertitus, quod hodieque ab Augusto subditis S. Romani Imperii adversus laesionem aliorum civium saepius concedi solet. Atque Protectorii hujusvis satis postea se exseruit, cum Florentina civitas auctoritate Imperiali ad obsequium reduceretur. Quod vero summus Pontifex Caesari protectionem promiserit, solemnitate potius aliqua externa peractum fuit, praesertim cum Carolus tutela Papali nequidem tunc indigeret, ipsemet supremus Romanae Ecclesiae Advocatus atque Defensor. Lubenter ergo conceditur, principes quoque summos, salva majestate et summitate imperii, sese alteri in protectionem dare posse. Sed constanter negatur, Caesaribus nihil praeter advocatiae simplicis facultatem in Florentinam ditionem competere, vel competiisse, propterea quod omnes actus Imperialis juris, prolixe jam dum demonstrati, plenissimam subjectionem comprobant, a mera clientela longissime discretam quae peculiari pactione invalescere consuevit, vel moribus itidem conciliari. Adeo a diversis ad diversa haud debet fieri illatio. Sicubi expeditus foret titulus, quem urgent, protectionis, a subjectionis indole adeo remotus, quis res diversas commisceret? Sed quia ejusmodi titulus nullibi apparet, tributa, a Florentinis toties exacta et praestita, in Diplomatibus, et ipsis eorum Annalibus domesticis *pecuniae tutelaris* nomine nusquam insigniuntur, itemque Supremi Principes et domini Subditorum suorum, ex mutua quadam Juris Naturae et Gentium obligatione, defensores ubivis terrarum conspiciuntur, cuncta, de ista re hucusque ex parte adversa prolata, par est, explodantur.

Vindicatur argumentum a clausula Decreti poenali desumtum. Poena vel conventionalis, vel legalis.

Neque iterum ad rem pertinent, quae *pag.* LII. *et* LIII. argumento *tertio*, poena, Decreto Imperiali adjecta, innixo, objectantur. Etenim Decretum illud pro Laudo minime habendum est; uti pridem ex instituto fuit expositum. Socium a socio adigi posse, ut stet legibus foederis, itemque arbitrum poenam imponere posse, lubenter conceditur. At praeterquam quod ad objectionem, a foedere repetitam, satis jam responsum antehac fuerit, sententia GROTII etiam eum in modum capienda est, ut socius socium puniat, veluti ex tacita conventione, quae foederi inest, vel etiam expressa. Atque omnis illa poena *conventionalis* appellatur, ac Juris Gentium est, a *legali* latissime remota, quippe ex Suprema in republica potestate et jurisdictione dimanans, docente eodem GROTIO, *L. II. C. 20. §. 3. num. 1.* verbis: " Dictat enim ratio maleficum posse puniri, non autem quis punire debeat: nisi quod satis indicat natura convenientissimum esse ut id fiat ab eo qui superior est, "i. e. qui

" i. e. qui potestatem habet in eum, qui peccavit. Jam Decreti Caesarei verba imperativa magis sunt, quibus socius in socium, inaequalem quamvis, uti non potest, neque usus fuit Gregorius X. Pontifex Maximus, utpote qui, licet, pace inter cives pronunciata, gravissimas poenas in transgressores constituisse, LEONARDO ARETINO, *cit. loc. f. 51.* commemoretur, contumaciam Florentinorum tamen, eodem Scriptore perhibente, interdicto Sacrorum saltem maxime ultus fuit, quod ad auctoritatem Ecclesiasticam et Papalem spectare intelligeretur. Profecto, facultatem puniendi, quam in foedere locum sibi vindicare contendit GROTIUS, non eo proferendam esse, ut socius socio publica sententia et constitutione pecuniariam mulctam indicat, nec arbitrum in laudo, privationem omnium jurium ac devolutionem et amissionem bonorum, instar poenae futurae, statuere posse, censetur. Talem enim poenam dignitas populorum liberorum, et ratio exigendi difficillima aegre patiuntur. Potius more, inter gentes recepto, hoc est armis, adigendus est is, qui e foedere, aut compromisso recedit, ut promissis faciat satis. Igitur a delectis arbitris laudo quidem poena inferri potest, si diserte a partibus cautum fuerit, vel implicite conventum. Nemo autem hucusque ostendit, illam indicendi mulctam, solum a partibus Caesari fuisse delatam potestatem. Omne hujusmodi compromissum peractum eo casu temere existimatur, cum ab isto controversia deciditur, qui, jure Regiae potestatis, constanti tot seculorum usu, lites definivit, inter Proceres et civitates Regni saepius exortas. Neque judices ordinarii arbitri eligi possunt, praesertim sicubi non vulgari, sed summa emineant Regalique jurisdicundi potestate.

Removentur objectiones adversus firmationem electionis Cosmi I. ejusque effectum.

Argumentis, quae Decretum Caroli V. Imperatoris, vindicante Imperii in civitatem Florentiae, ejusque Dominium jurisdictioni copiose et opportune suggerit, assertis atque defensis, demonstrandum itidem est, confirmationem electionis Cosmi I. ejusque effectum perperam impugnari. Enimvero, quicquid Senatus Florentinus summa declarandi Principis potestate fuerit instructus, electio tamen peragi debuit secundum legem, Decreto Caesareo, quo Principatus Mediceus institutus, praescriptam, ac peracta quoque fuit, prouti jam dum supra evictum est. Confirmatio itaque Imperialis universum negotium demum corroboravit, atque locum *investiturae*, perscriptum peractae, et eodem effectu, quo verbalis, praeditae, tum sustinuit. Sicubi ad Imperatorem jus saltem protectionis spectasset, non indigebat electio Imperiali confirmatione, quum indoles tutelae eo non pertingat. Imo eadem certissimum dominii Supremi praebet documentum, apud liberos populos, et Principes, ab illis electos prorsus inusitata. Ita, ut res paululum illustretur, confirmati olim Pontifices Maximi, alioquin a clero et Cardinalibus lecti, fuere a Caesaribus, quod his subessent illi; quemadmodum testatur SIGONIUS, *de Regn. Ital. pr.* PLATINA, *in Leone IIX.* MABILLON, *Itiner. Ital. T. II. p. 114.* nec ipse diffitetur Pius V. *L. II. Epist. 19. et 25.* Praeterea Strozzius, ac reliqui exules, novum Principatum aegre ferentes, potuissent facile majores atque Mediceorum potentiae damnosiores excitare turbas, nisi dominatus auctoritate Imperiali fuisset communitus. Atque hoc ipsum non ignorabant banniti, frustra Caesaris praesidium efflagitantes, cum privilegia, Alexandro antehac indulta, confirmare magis dignaretur, atque ea in Diplomate ratihabere, quae Comes de Cifuentes, Caesareus in Italia Orator, tum electione Cosmi confestim approbata, tum alias provide ac prudenter gesserat, a Marchione Vastio strenue adjutus; quae res eximie cognoscitur ex literis, eo tempore confectis, quas *Lib. III. delle Lettere di Principi, p. 50. 52. et 56.* exhibet. Imo quum Strozzius et alii refractarii interficerentur, id sine Caesaris praescitu voluntateque minus contigit, qui, illos, utpota mandatis Caesareis frivole renitentes, "non poena solum, iisdem inferta, sed capitali etiam dignissimos esse, judicavit.

Confirmatio instar investiturae perscriptum.

Discutitur relatio ADRIANI, ac CINII.

Neque vero ea, quae de efficacia, ac condicione confirmationis Caesareae prolata, infringunt relationes ADRIANI, et CINII, ad quos *pag.* LIV. ideo provocant, quod iidem narrent, Legatum Cosmi, Averardum Serristorium, investituram Florentiae, ab Administris Imperatoris oblatam, libertatis conservandae gratia, repudiasse. Praeterquam enim quod Historicis istis, qui officii sui duxissent, neglecta itidem veritate, pro Principe suo scribere, parum fidei sit tribuendum; notatu dignissimum est ideo libertatem quandam et immunitatem circa praestationem juramenti fidelitatis ac investiturae solemnitatem forsan expetiisse ac impetrasse Cosmum, quod privilegiis, Alexandro antehac concessis, solum innitteretur, verbis ADRIANI, " non chie-

„ chiedendo in nome di Cosimo che la confermazione del fatto, e i *privilegii*, che „ aveva usato il Duca Alessandro; neque Administri Caesarei ignorarent, ea omnia ad servandum jus Imperii haud esse necessaria, atque sufficere prorsus clausulam salutarem, Diplomati summa cautione insertam: "Nostra tamen et Imperii superioritate „ et juribus semper salvis. Cujus certe via adeo Florentinis perspecta esse videtur, ut jam nihil plane proferre possint, vel excogitare, quod eandem evellat. Quapropter consequitur, exinde, quod Cosmus investiturae solemnitatem fuerit deprecatus, pro Libertate Florentina parum evinci praesertim sicubi Senatus populusque Florentinus compelleret, existimans, ea ratione effectum iri, ut libertas regiminis imminuatur, ac Cosmus ad exemplum Principum Italiae, Imperii Vasallorum, dominationem nimis monarchicam adfectet, atque adeo limites gubernationis, Decreto Carolino mirifice constrictos, egrediatur.

Testimonia fidei ac devotionis Cosmi I. erga Imperatorem.

Haec vero omnia magis adhuc patent, ac extra quamlibet controversiam collocantur, si expendatur, quantam fidem, devotionem ac reverentiam, Cosmus I. semper Carolo V. Imperatori verbis factisque fuerit contestatus. Sic JOVIUS *L.* XXXIIX. diserte ait: Cosmum *fideli obsequio* erga Caesarem grati animi sui existimationem tutatum esse; itemque *p. 171.* refert, Cosmum ingenue professum esse: "se rempublicam, „ cam, consensu Senatus ex Lege Caesaris (ad se) delatam, auspicio invicti Caesa- „ ris gesturum. Deinde Cosmus, memorante ADRIANO, *L. I. p. 28.* per Legatum, ad Carolum missum, cum suo, tum Civitatis nomine, omnem devotionem solemniter promittit, et, apud THUANUM, *L.* XVIII. *Hist. p. 308.* gloriatur: "se officio ela- „ borasse, ut Caroli majestas inconcussa per universam Italiam praecipue in Hetruria „ manserit, et ab omnibus fideli obsequio culta sit. Alia clarissima subjectionis et obedientiae testimonia suggerunt, tum ipsae literae Cosmi, in *L. III. delle lettere di Principi*, memoriae proditae, tum complures alii Historici, ex adversa parte toties in subsidium vocati ac pro fide dignis agniti; e quibus nominasse hic sufficiat AMMIRATUM, *L.* XXXIII, *p. 487.* CINIUM, *nella vit. di Cosimo*, *L. I. p. 43. II. p. 57. III. p. 139. IIX. p. 491.* NATALEM COMITEM, *L. VI. p. 123. et* iterum ADRIANUM, *L. II. p. 72. et 87. III. p. 192.* Qua fidei constantia et magnitudine, celebrata THUANO quoque *L. V. et* XXXVI. ubi voce *signi* intelligitur signum servitium, de quo congessit varia CAROLUS *du* FRESNE, *P. II. Glossar. Tom. 3. fol. 862.*) per motus tandem Caesar Florentinum castellum et Liburnum portum instar novi beneficii tradidit; qua de re MANNUCCIUS, *in Cosmi Vita*, *p. 58. seq.* et alii perlubent, itemque in *L. III. delle lettere di Principi*, *p. 215.* differitur.

Respondetur ad objectionem a declaratione Investiturae Senensis.

His constitutis, nova objectio, quae a declaratione, Investiturae Senensis literis adjuncta, *pag. LV.* repetitur, facili negotio removetur. Contextus enim declarationis abunde evincit, id saltem inter Philippum II. Hispaniarum Regem, et Cosmum, Florentiae Ducem, fuisse actum, ut nexus subfeudi, quo jam Senensis Provincia affecta justis cohibeatur limitibus, neque ad alia bona proferatur, verbis: "contineantur „ tur duntaxat bona, etc. it. ratione dictae infeudationis. Neque apparet, qua ratione Philippus II. territorium Senense, sibi paulo ante a patre, Carolo, concessum, ac (quod Literae Investiturae, in Archivo Mediolanensi conspicuae, aliaque certa rerum argumenta comprobant) Ducatui Mediolani, singulari modo, vinculo clientelari connexum, Cosmo feudi titulo adscribens, potuerit de juribus Imperii, tanquam tertii, statuere? Nam Carolus V. jam a. 1556. dignitati ac potestati Caesareae solemniter renunciaverat, neque proinde isti negotio, a. 1557. demum confecto, tanquam Imperator interesse poterat. Ferdinandus vero I. Imp. ejusque Successores illam declarationem diserte una approbasse, vel circa subinfeudationem Senensem quidpiam in praejudicium Imperii suscepisse nullibi leguntur. Igitur verba: *Caesari Majestati* pro inanibus et superfluis (prout in ejusmodi Diplomatibus, incuria scribentium, vel alia ratione saepius contingit) sunt habenda. Quicquid itidem Caesar hic consensisset, ac universam conventionem simpliciter confirmasset, nec illud Imperii facultatem illico subvertit, vel agnitionem perfectae Libertatis coarguit. Nam si Charta aliqua juri Imperii quid detrahatur, vel illud, ante hac strenue vindicatum, nihilominus expresse, aut implicite dimmittatur, voces: *Caesarea Majestas et Imperium*, connecti solent atque debent. Neque consequitur: nullum jus Caesareae Majestati quaesitum fuit in reliquam ditionem Ducis Florentini, ratione infeudationis Senensis; Ergo eadem, ante hanc infeudationem nulla juridictione in illam fuit instructa. Quin potius merito

merito concluditur, declarationem jus Imperii inveteratum excludere ideo haud posse, cum non opus fuerit, novum quoddam per infeudationem Senensem demum cumparare.

Vindicatur effectus formulae; Nostrum et S. Romani Imperii fidelem.

Praeterea maxime est mirandum, verba Diplomatis Carolini, Cosmo I. indulti, adeo in sinistram partem *cit. pag. LV.* detorqueri, quibus Imperator Ducem compellat *Nostrum et Sacri Romani Imperii fidelem.* Etenim supra jam adnotatum fuit, vocem: *fidelis*, manifesto Imperii Romano-Teutonici usu, vasallum, et saepius subditum designare, nequicquam vero talem, in quem jus protectionis solum exercetur. Neque Caesares unquam alia magis appellandi formula erga Subditos suos ac Vasallos fuere usi, probante CAROLO du FRESNE, *P. I. Glossar. T. 2. f. 427.* voc. *Fideles Regis.* Ad rem vero nihil prorsus pertinet, quod ex KNIPSCHILDIO adfertur. Nam quamvis forte adduci exempla possent; ubi protectores Clientes suos nominarint *fideles* (quod tamen a Jurisconsulto haud factum) nihilominus, istos vocabulo audacter satis fuisse abusos, facile colligitur. Hujusmodi certe terminorum commixtio confusionem ipsorum jurium sensim progignito; atque interest ipsorum, qui protectioni subsunt, aliena, et facultatem ampliorem fortioremque indicantia hic verba exulare. Contingere mox tum potest et solet, ut patientia in jus transeat, quem in modum disserit GROTIVS, *de Jure B. et P. L. I. C. 3. §. 21. n. 11.* ac jus simplicis advocatiae, formam dominii supremi et jurisdictionis indutum, diversos longe et graviores effectus sortiatur. Imo nec desunt, qui, praesertim hodie, omni advocatiae jurisdictionis multum sina insitum esse, arbitrantur. Si fuerit demonstratum, supremos itidem Principes ab Imperatoribus aliquando *fideles*, integra illorum eminentiori libertate, fuisse publicis Diplomatibus nuncupatos, meliorem contrariae idem opinioni speciem praeberet. Sed demonstrari nunquam poterit. Equidem plures olim Reges etiam *fideles* Caesaris atque Imperii, variis Chartis, audire. Verum ii re ipsa vasalli exstitere, et proinde nomen ejusmodi consecuti; prouti de Daniae, Poloniae, etc. Regibus ex CONRINGIO, *de Fin. Imp. C. XIV. et XIIX. tot.* ac aliunde constat.

Expenditur axioma: Magnificus.

Non solum vero verba, jam explicata potestatis auctoritatisque Imperii, in Tusciam competentis, demonstrationi solidae inserviunt; sed quoque axiomatis, *Magnificus*, Cosmo in Diplomate adsignati, ratio eandem videtur adjuvare. Certe titulus ille publicis monumentis, quousque habetur compertum, Principibus supremis tribui nunquam consuevit, cum eo alii itidem et privati, in dignitate, vel ecclesiastica, vel seculari constituti, semper fuerint potissimum cohonestati. Nec idem tantum complectitur, quantum axioma, *Illustris*. Hoc enim ipsi quondam Francorum Reges usi fuere; id quod ex eorum Diplomatibus adparet; apud DOVBLETVM, *Hist. Sandionys. p. 665. seqq.* Deinde *Speculi Sax. L. III. Art. 58.* Principes diserte illustres vocantur, ibi; *illustris seu Princeps;* quocum conferantur Diplomata Henrici VI. Ludovici IV. et Caroli IV. Imperatorum apud MEIBOMIVM, *Tom. III. Rer. Germ. f. 207. seqq.* Imo Florentinum Ducem haud prius *Illustris* aut *Illustrissimi* titulum, quam a Caesare Maximiliano II, Magni Ducis dignitatem etiam impertiente, legitimo modo impetrasse, publica rerum documenta comprobant, ita, ut olim prae reliquis Italiae Principibus et Proceribus, Imperiali jurisdictioni obnoxiis, hac quidem parte, nihil praecipui habuerit, observante dudum PAVRMEISTERO, *de Jurisdict. L. II. C. 4. n. 74. seqq.* verbis: "Et quod non aliter ac subditos, Principes, Comites, Barones,
„ ac Civitates Italiae tractet Imperator, Stylus Cancellariae Aulicae docet, quo talis
„ est ad singulos inscriptio: Ad Principes, Illustrissimo N. Magno Duci Hetruriae, etc.
Qui stylus quousque sub finem prioris seculi singulari Divi Leopoldi M. Gloriosiss. Mem. Imperatoris, gratia fuerit immutatus, ad *pag.* LXI. infra declarabitur.

Titulus Illustrissimi quondam saltem Magno Etruriae Duci stylo Curiae Imper. adscriptus.

Defenditur THVANVS.

Denique illud argumentum insigne exerciti in Etruriam Familiamque Mediceam Imperialis juris identidem est vindicandum, quod THVANVS, recentiores inter Historicos maxime conspicuus, optime exposuit. Hic enim *L. XLIV. et LX. Histor.* de lite Ducis Florentini cum Ferrariensi, Pontificis Maximi conatu, itemque Caesarea protestatione, et confirmatione concessioneque Magni Ducis tituli subsecuta, plura sincere commemorat; unde apparere possit jurisdictio Imperatoris fundata pariter ac jus circa constitutionem dignitatum illustrium. Jam vero *pag.* LVI. usque ad *pag.* LXI. omnis eo adhibetur ac contenditur quidem opera, ut, THVANI relationem falsi et commenti vitio laborare, alii sibi habeant persuasum. Sed plene evincetur, Scriptoris cele-

celeberrimi narrata veritate inniti manifesta, itemque Diplomatum ac Annalium, praesertim Florentinorum, fide, omni exceptione majori, penitus comprobari. Principio autem expeditum est, Imperatori Romano-Germanico, apud quem solum dignitates illustres in Germania Italiaque passim concedendi, tot seculorum constantissimo usu, potestas perstitit, itidem dirimendi lites, circa jus praeeundi ortas, facultatem esse adferendam. Quemadmodum igitur Italiae Principes honores suos Ducales, et Principales ab Imperatoribus, concinnatis ea de re Diplomatibus, impetrarunt, eadem protinus ratione, qua Germanici Regni Proceres, imo ipsi Medicei Principis, aut Ducis titulo a Carolo V. fuere decorati; ita isti jurisdictionem Caesaream, in ejusmodi controversiis exercendam, nunquam declinarunt; idquod declaratur exemplo Sabaudiae Ducis, qui primum Italicos inter Principes locum beneficio Caesaris pridem adeptus fuit, invidentibus quidem, nec tamen reniti ausis reliquis. Hoc autem dogma non agnovit, ineunte gravissima lite, tantum Dux Ferrariensis, sed itidem

Cosmus I. in causa praelationis jurisdictionem Caesaream agnovit.

Cosmus I. Florentinus, utpote qui jam dum decisionem illius jurisdictioni supremae Imperatorum, Caroli V. et Ferdinandi I. lubenter subjecerat, itemque vi duplicis Decreti, cujus mentionem injicit ipse CINIVS, *L. VII. p. 456.* victoriam obtinuerat, nec diffirente ADRIANO, *L.* XVII. *pag. 1190.* qui ait: « Il Duca di Ferrara faceva „ forza appresso all' Imperadore, che la dichia razione fatta da Carlo Quinto in fa„ vore del Duca di Firenze fusse annullata. Atque eodem maxime fundamento innixus ac confisus Cosmus jus suum tam acriter defendit, licet haud diffitendum sit, exemtionem quoque ab Imperii jactatam fuisse jurisdictione, ac complures tum Europae Academias virosque doctos pecunia eo incitatos, ut Libertatem Principis Florentini Consultationibus suis scriptisque defenderent. Etenim, JCtos imprimis in Responsis suis has decidendi rationes adhibuisse, satis constat, quod a Rudolpho I. Imperatore libertatem redemerint Florentini, Cosmus arbitrio Senatus fuerit electus, itemque Pontifices Romani summam auctoritatem suam in creandis Regibus Principibusque

Rationes Decidendi JCtorum pro Libertate Florentina ineptae.

saepius exercuerint. Sed longe aliter de controversia illustri sententiam dixissent, sicubi ipsis saltem Diplomatum et Decretorum Caroli V. Caesaris, copia fuisset facta, iique Annales veteres, exemtionem Florentinam venditionemque Rodolphinam prorsus ignorantes, diligentius excussissent. Quin ji etiam, qui Ducis Ferrariensis causam propugnabant, praesertimque DECIANVS, celebris Italiae JCtus, in *Consil.* XIX. ex eo utique fonte jus praecedenti pracipue derivarunt, quod Florentina ditio pariter ac Atestina potestati Imperiali pridem subfuisset, a Carolo V. restauratae, et publico Decreto confirmatae, adeoque Atestini, jam dum ab Imperatore, Friderico IV. Duces creati, Mediceis, id demum dignitatis novissimae consequutis, longissime essent prae-

Probatur Ferrariae Ducem Libertatem Florentinam in dubium vocasse.

ferendi. Imo ipsum Ducis Ferrariensis evincit factum, Cosmi praetensam antiquam libertatem ac exemtionem omnino fuisse in dubium revocatam, atque, egregiis argumentis in medium prolatis, explosam, cum, actione adversus Florentinum coram Caesaris Judicio instituta, decisionem controversiae ab eodem exspectandam esse, summa animi alacritate fuit professus. Verum, etiamsi a defensoribus causae Ferrariensis commentum Libertatis Florentinae haud fuisset rejectum, sed ipsi tantummodo distinctione inter personam Principis, Rempublicam regentis, ac ipsius Reipublicae dignitatem majestatem producta, rem conficere sategissent, id juribus Imperii nihil damni adferre posset, utpote quorum adsertio tantum non indiget distinctionibus quibusdam, a JCtis, vel Philosophis ingeniose subtiliterque excogitatis, ut manifesta potius Annalium ac publicorum Actorum et Documentorum fide perpetuo sustineatur.

Loca Scriptorum, sub N. XVIII. nihil evincunt.

Vnde consequitur, incassum excitari loca PISTORII, JOANNETTI, et HERMANNI HERMIS, sub N. XVIII. cum hi Scriptores nec facultatem praecedendi alios Italiae Principes, ac Civitates inveteratam Florentinorum rerum argumentis comprobarunt, neque, eos ab Imperii Romani jurisdictione fuisse unquam liberatos, docuere, itemque JOANNETVS privilegiorum (Imperialium) injicit mentionem, ac HERMES, Caroli V. Decreto Florentiae Duci praecedentiam adjudicatam fuisse ante Ducem Estensem, diserte profitetur.

Exponitur locus VICQVEFORTII.

Etsi vero *pag.* LVIII. ad VICQVEFORTIVM provocetur; neque tamen hincidonei quidpiam pro refellendo THVANO arcessitur. Nam tantum abest, ut iste defensionem imaginariae Libertatis suscipere, vel quid, juribus Imperii repugnans, proferre ausus fuerit, ut, Florentinum Ducem acquievisse, ac Maximilianum II. ob re-

gulam

gulam, a Pontifice veluti praescriptam, summopere fuisse indignatum, commemoret, simplicis tantum narrationis vice hic defunctus. Enimvero, postquam Maximilianus, rejectis et spretis levissimis argumentis, quibus Commendonus, Cardinalis, et Pontificis Maximi ad Imperatorem Nuntius ablegatus, Libertatem Florentinam evincere conabatur, apud THVANVM, *L. XLIV. p. 926.* et GRATIANVM, *in Commend. Vit. L. III. C. 8. p. 318.* adversus inaugurationem Pontificiam ann. 1570. per Oratores suos, his verbis graviter fuerat protestatus: " Quandoquidem Florentia et „ Sena Camerae (feuda, vel domania) sunt Romani Imperii, neque potest neque de„ bet circa titulum Ducis Florentini aliquid innovari citra voluntatem Caesareae Ma„ jestatis: alioquin enim pertinebit illa res ad manifestum ejusdem Majestatis praeju„ dicium, atque ita tanquam non facta habebitur, et viribus omnibus destituetur, testibus SCHARDIO, *de gest. sub Maxim. II. pag. 2443.* AMMIRATO, *L.* XXXV. *pag. 549.* ADRIANO, *L.* XXI. *pag. 1520. seqq.* aliis; tum Pontifex, tum Florentinus Dux ad saniorem utique mentem rediere, praesertim quum intellexissent, omnes Imperii Romano-Germanici Electores ac Satus, itemque reliquos Italiae Principes novum et insolitum prorsus illicitumque Curiae Romanae factum tam aegre ferre, ut res spectare ad arma videretur; uti colligitur ex NATALI COMITE, *L. XXVI. p. 587.* Praesertim vero indignationem Caesaris justissimam, de qua VICQVEFORTIVS, declarat Epistola, sive Rescriptum, ad Cosmum I. d. 26. Dec. eod. ann. 1570. missum, sub *Lit. R.* ubi Augustus jura Imperii, immortali nominis gloria, tuetur, ac, Ducem beneficii Carolini, gravissimis verbis, memorem esse, jubet; inter quae sequentia notat usunt dignissima: " insciis Nobis, utpote Romanorum Imperatore, cui in Hetru„ riam Superioritatis jus competere efficacissimis rationibus, et quidem magna ex „ parte veteribus, (Ruperti, Maximiliani I. etc.) et recentibus (Caroli V.) *investi„ turis* probari potest, acceptare, nedum, quoad Florentiae statum, Nostram il„ lam ac Sacri Imperii *Superioritatem*, *Jurisdictionem* et Authoritatem non solum „ in dubium vocare, verum etiam *inani quodam libertatis praetextu* prorsus negare, „ it. vel certe absurdum est, id a Dilectione Tua negari, sine quo nec praedecesso„ ris sui Ducis Alexandri erectio, nedum Dilectionis Tuae vigore ejusdem institutionis „ ad se delata successio, valida esset atque subsisteret, it. Nobis ac Sacro Imperio „ Nostra Authoritas, Praeeminentia, Dignitas et Jurisdictio, salva, integra et il„ laesa maneat: retractando scilicet ea, quae sic a Sanctitate sua illegitimo modo „ instituta sint.

Argumenta Commendonii Card. a Maximiliano II. rejecta.

Rescripti Caesarei ad Cosmum I. gravissima verba.

Quum ergo Cosmus acquiescendo obsequium satis declararit, adeo, ut, Rescripto Imperatoris mirifice perterritus, ac poenam vindictamque Supremi Judicis metuens, Joannem Baptistam Concinum, Jurisconsultum, qui una cum Ludovico Antenore, ordinario Legato, liti denuo vacaret, ad Aulam Caesaream mitteret, eo, teste ipsomet CINIO, *p. 493.* instructum, ut argumenta adversus Ducem Ferrariensem legitime produceret, nec amplius plenam jactaret libertatem, sed a Maximiliano Magni Ducis axioma demisso animi cultu efflagitaret; neutiquam apparet, cur THVANVS qualitatem minus congruam Cosmo attribuisse censeatur. Atque fori Imperialis, ab eodem Duce hac ratione agniti, auctoritatem, gravi citatione, in Consilio Imperiali Aulico, prouti inter Subditos Imperii itemque Vasallos et Principes Italiae fieri solet, decreta et emissa, fuisse firmatam ac expositam, quis ambigat? Citationes illius vero non injicit solus THVANVS mentionem, sed quoque Historicus Florentinus, ADRIANVS, *L.* XXII. *p. 15.* "Il Imperadore mandò un decreto al „ Grand Duca citandolo ó in persona propria, ó per legitimo procuratore fratre „ mesi per agitare la sua causa. Citationi itidem paruit Cosmus, atque Concino, uti paulo ante monitum fuit, Vindobonam ablegato, prolatis instrumentis, et rationibus in medium propositis, se defendere coactus est, referente ANDLERO, Consiliario quondam Imp. Aulico, *in Tom. II. Const. Imper. f. 888.* Quacunque autem ratione Cosmus citationi fecerit satis, jurisdictio Caesarea omnino mansit intemerata; utpote cujus exercitio nulla penitus protestatio, reservatio, vel alia exceptio vana et inanis, licet secundum relationem ADRIANI, *cit. loc. p. 63.* contigisset, omnium prudentiorum judicio, poterat obstare. Praestruxit ergo citatio jurisdictionem pridem fundatam, praesertim quam actum contentiosae constituat; adeoque Caesar rem direxit merito ad normam Legum Imperialium, Cosmum, sicubi minus comparuisset,

Ostenditur Cosmum I. causam Libertatis ipsummet deseruisse.

Probatur Cosmum I. citatum, citationi paruisse.

Protestatio adversus apertam Imperii ju-

risdictionem nihilo operatur. Frustra provocatur ad KNIPSCHILDIUM, etc.

poena, quae iisdem in contemtores jurisdictionis citationisque deprehenditur inserta, affecturus. Ceterum placebat nondum Maximiliano, sententiam pronunciare, cum Principes, sibi adfines, amice mallet conciliare, quam, judicio lato, aemulationi ac odio suggerere occasionem. Unde liquet, perperam ex contraria parte ad KNIPSCHILDIUM, aliosque JCtos, provocari, utpote qui de eo casu loquuntur, utrum per citationem acquiri possit jurisdictio, quaestionem recte negantes, cum v. c. citatus non comparet. Sed de hoc nunc minus agitur. Caesar enim nec voluit, nec debuit demum jurisdictionem, in Ducem Etruriae exercendam, comparare, ab Augustissimis Antecessoribus jam pridem exercitam.

Defenditur porro THUANUS.

Porro, THUANUM decepisse semet, quando titulum Magni Ducis Francisco, *tanquam Imperii Beneficiario*, indultum fuisse, *Lib.* LX. *pag.* 82. commemoravit, perperam iterum in *Script. Contrar. pag.* LVIII. existimari, ipsum Diploma Maximiliani II. sub *Lit. S.* docet, cui haud vagas et inefficaces formulas clausulasque insertas esse, facile judicabit, qui illud inspexerit, prouti integrum, nec malevolorum artibus mutilatum est. Annon enim haec *clausula* maximi ponderis, quae insigni prudentia et cautione adjecta: " ut porro salva sit *Superioritas* Nostra, Sacri Imperii, ac cujuslibet alterius. Vbi notandum, verba subsequentia: " utpote omnia et singula interpretentur in favorem dictae Familiae Mediceae, *pag.* LX. satis incongrue pro adversario dogmate sustinendo, ac publicorum Actorum efficacia infringenda produci, insimul ac captari; quandoquidem tam ex antecedentibus sunt explicanda, quam Decretis, a Carolo V. Imperatore, Alexandro, et Cosmo I. datis, jam dum inserta, idque propter *defectum solemnitatum*, quem exprobrari et objici Mediceis nolebat. Sic enim Carolus in Tabula priori: " Declaramus et pronuntiamus, quibuscunque in contrarium „ facientibus, non obstantibus, et si talia forent, de quibus specialis, expressa, „ ac de verbo ad verbum in his mentio fieri oporteret, quibus omnibus et sin„ gulis, eisdem motu, scientia animo, authoritate et potestate praedictis dero„ gamus, et derogatum esse volumus, per praesentes, supplentes omnes defe„ ctus, tam juris quam facti, et *solemnitatum omissiones*, signis, aut quae forsan in „ his intervenissent, aut allegari quovis modo possent, quae omnia et singula „ ut in favorem dictae Mediceorum Illust. Familiae interpretentur, volumus et ju„ bemus. In altero Caroli V. Decreto de suppletis solemnitatum defectibus similia ferme occurrunt, nisi quod clare additur: " Nostra et Imperii Superioritate, „ et juribus semper salvis. Igitur vix alius effingi poterit sensus, Diplomatis, a Maximiliano II. concessi et sigillatim verborum: " Volumus ut porro salva sit „ Superioritas Nostra, Sacri Imperii, utque omnia et singula interpretentur; adeoque consequitur, saltem interpretationem, in Favorem Familiae Mediceae faciendam, supremo Caesarum imperio, tam enixe ac fortiter hic communito, opponi haud debere. Quibus accedit, quod clausula ejusdem generis, perpetuo et certissimo Imperii usu, omnibus Erectionum Diplomatibus, quae vocantur, connecti merito consueverit; quorsum infinita prope documenta proferri possent, nisi hoc esset supervacaneum prorsus atque ab instituto alienum.

Clausula juris Imperii conservatrix.

Discutiuntur verba: interpretentur in favorem Familiae Mediceae.

Refellitur ac explicatur NATALIS COMES.

Neque vero movet, quod ex NATALI COMITE, Veneto, *pag. LIX. et LX.* adducitur, qui recensuerit, quam delicatum Minister Francisci, Magni Ducis, Concinus, circa acceptionem Diplomatis, ejusque formularum se gesserit; Etenim Historicus iste, observante insigniter CASPARE BITSCHIO, in *Praefat. Edit.* in rebus gestis delineandis saepius haud perite, perspicue, aut plene, atque accurate et dextre versatus fuit. Deinceps nondum ex parte contraria productum fuit quartum illud Decretum, ubi, narrante Historico, ad indefessas Francisci preces, omissa fuerint ea, quae Mediceis non honorifica viderentur. Neque insimul solide demonstratum, cur Medicei clausulas, Tabulis prioribus insertas, *quas ipsi tamquam unicam viam cum Maximiliano conveniendi initio proposuerant*, posthac tam proterve respuerint. Quapropter abunde liquet, id saltem efflagitasse ab Imperatore Franciscum, ut in Decreto postremo clausula *reservationis jurium*

cujus-

cujusvis ratione scilicet Ducis Ferrariae habita) omitteretur. Ita enim NATALIS; " actum est de extensione, ut ad tollendam omnem difficultatem vel cu-
" jusvis Ducis controversiam, impetratum sit, ut Caesar oblitteraret *reservatio-*
" *nem jurium cujusvis*, ac fecerit, ut dilataretur ac declararetur ita privilegium,
" ut e gradu Ducis ad sublimiorem re ipsa sit elatus, et alia eaque digniore clas-
" se constitutus cum omnibus praerogativis, quae pertinerent ad Magnos Duces
" non solum jure, sed etiam usu. Clausulam vero de reservatione Superioritatis, Caesari et Imperio competentis, neglectam fuisse ullibi, Scriptor ille nequidem expresse memorat. Ac etiamsi Franciscus tale quartum Diploma, maximo negotio, ac fortasse majore quam hactenus factitatum fuerat, uti somniavit NATALIS, ex voto tandem obtinuisset, aperto sub - et obreptionis vitio idem laborasset; quandoquidem a Decreto, cum matura deliberatione Principum Electorum S. R. J. ex Voto ipsorum praestabili, sub *lit. T.* satis colligenda, d. 11. Novembr. ann. 1575. Ratisbonae confecto, sub *Lit. V.* recedendum minus fuit. Quis ergo amplius his nugis discutiendis immoretur, praesertim quum Diploma, ann. 1576. Vindobonae concinnatum, Chartae, in solemnibus Comitiis Ratisbonensibus scriptae, prorsus conveniat, neque, uti jam dum fuit evictum, recentius aliud, debilitatem praetentionum, quae adpellatur, Imperialium expromens, hucusque fuerit prolatum, quippe in rerum Natura haud existens?

Attamen, ne quicquam dubii hac in re supersit, commonendum est, non fuisse opus, ut iisdem verbis ac clausulis Diploma Maximiliani II. refertum esset, quae in Decretis Alexandri, et Cosmi exprimuntur. Tanta enim vocabulorum, jurisdictionem Imperii designantium, moles non fuit congerenda, ubi nec de constituenda prius illa, potius axiomate Magni Ducis Francisco indulgendo agebatur; quanta ad ordinationem Principatus Medicei, ejusque confirmationem, auctoritate Caesarea susceptam, requirebatur. Diversitas objecti diversam exigit loquendi scribendique formam. Quid si ergo omnes clausulae, Decretis Alexandri, et Cosmi propriae, fuissent in Diplomate Maximiliani sepositae, hujusmodi omissio laedere haud possit jura Imperii, vel illorum Decretorum vim ac effectum profligare; quum nemo dixerit, Superiorem et dominium supremum facultatem suam amittere, non ubique in literis, aut Diplomatibus Vasallum, subditumve *Fidelem*, *Beneficiarium*, etc. adpellantem. Saepius certe, in Principes praesertim, formulae solent temperari, ac mitiores magisque amicae deligi, integra utcunque juris ratione, cujus nequaquam controvertitur simul status; et sufficit, tum varia passim in Documento adhiberi verba, quae vinculum, de quo quaeritur, abunde declarent. Mirandum denique, NATALEM referre, quomodo Consilium Caesarem de debilitate suarum praetentionum informarit, quum neutiquam sit conjiciendum, Administros Imperiales jura Imperii in Hetruriam, eorumque gravitatem, vel nescivisse, vel minus ponderasse; quin potius exploratum sit, eosdem potius, negotii probe gnaros, consilia, Imperatori subministrata, eo direxisse, ut ipse potestatem suam adversus quoscunque propugnaret, testibus SCHARDIO, *Tom. IV. Rer. Germ.* et ANTONIO GALVTIO, *in Vita Pii V. Lib. III. Cap. 16.*

Protestatio Francisci Medicei juribus Imperii non adversatur.

Quicquid autem Franciscus, id acturus, ut Parenti, Cosmo I. jamdum vita defuncto, titulus Magni Ducis itidem proficeret, protestatione ann. 1575. facta, sub N. XIX. Bullae Pontificiae auctoritatem tueri fuerit conatus, id eo nunquam pertingit, ut factum, illegitimo modo perpetratum, ea ratione legitimum validumque fuerit effectum. Neque protestatio, facto contraria, quidpiam operatur, quum non solum ea clanculum saltem privatimque fuerit peracta, neque ad Caesaris notitiam delata, sed quoque ultimo et solenni Diplomati, Vindobonae d. 26. Januar. ann. 1576. consignato, haud fuerit opposita. Imo licet protestationi illi effectus aliquis foret adscribendus, tamen ipsa vim clausulae, Superioritatem Imperii in Hetruriam solicite reservantis, nequaquam infringit, utpote quam integram salvamque semper permanere, ipsa Pii V. Pontificis Max. Bulla di-

ferre cautum fuit. Quapropter prudentes rerumque periti satis intelligunt, magis cum de Bullae Papalis auctoritate veluti restituenda, et Apostolici circa concessionem illustrium et imminentiorum dignitatum juris adsertione sustinenda fuisse callide et artificiose actum, quam de causa imaginariae Libertatis cujusdam, a Cosmo I. jam dum deserta, audacter resuscitanda.

Probatur, concessionem dignitatum illustrium praestruere jurisdictionem.

Jam vero nova quadam objectio *pag. LX.* sese offert, quae eo facilius diluitur, cum sententiam complectatur, sanae Politices et Juris Publici Gentiumque regulis valde repugnantem. Statuitur enim temere, concessionem dignitatum illustrium haud inducere subordinationem ejus, qui consequitur, neque jurisdictionem conciliari ei, qui indulget; postquam expeditum satis est, ejusmodi concessionem omnino praestruere jurisdictionem, cum id juris ad suprema spectet Regalia. Plane, Gentium moribus, quibus liberae invicem gentes utuntur, ignotum prorsus et absonum, Principem liberum alii, quoque libero nec ab illius arbitrio uspiam pendenti, axioma quoddam conferre posse. Neque apparet, quomodo Princeps extra limites Principatus sui parem sibi constituere valeat, atque alium dignitate cohonestare, quam hic suo potius jure propriisque viribus adsumere poterat. Alia longe ratio habetur *agnitionis*, alia *creationis*. Illa utique Gentium Juris est, ac solum declarandae veluti et firmandae tantisper dignitati, jam constitutae, accedit. At creatio praerequirit Principem, qui in eum, cui axioma honorificum indulget, jurisdictionem queat exercere. Cui dogmati optimo magis demonstrando adducenda sunt quaedam exempla, ubi Caesares Romano-Teutonici Reges Ducesque creatunt, quorum nemo unquam exstitit, qui Vasallus Imperii minus antea fuisset redditus. Ita Poloniae quondam Duces ab Ottone III. Reges vocati, qui jam isto aevo in clientelam Imperii pervenerant; de quo LVBIENSKIVS, *Vit. Episcop. Ploc. pag. 311.* CROMER. *Lib. II. de Regn. Polon.* De Rege Boëmiae consulendus praesertim est GOLDASTVS, de *Regn. Bohem. Lib. III. Cap. 10. tot.* Danorum Principi, Petro, Regia stemmata dedisse, Fridericum I. Imperatorem, ait BODINVS, *de Republ. Lib. I. Cap. 9. pag. 144.* Danos autem quondam Imperio paruisse, egregiis documentis productis, probavit CONRINGIVS, *de Fin. Imp. Lib. I. Cap. 14.* Imo omnes illos, quos Romani olim, Vrbis ac Orbis prope domini, Reges crearunt, Reipublicae superioritatem agnovisse, ac, si quid moliti, Regnis exutos fuisse, exploratum habetur. Igitur nemo negarit, creationem Regum, a Caesare peractam, coarguisse jurisdictionem ad nexum clientelarem, et conciliasse potestatem quandam supremam Imperio in Principes, qui sponte diadema Regium a Caesare efflagitarunt et obtinuerunt, hoc ipso declarantes, ipsis facultatem propriis auspiciis Regiam dignitatem capessendi minus competere. Equidem errant, qui jus creandi Reges, Imperii Romano-Germanici majestati cohaerens, ex dominio quodam universali totius orbis derivant, cum plures provinciae a vastissimo olim Systemate fuerint avulsae, quae deinceps praescriptione, vel pacto et transactione varia, summam libertatem acquisiere, Regibus quoque propria auctoritate a cujusvis regionis populis constitutis, imprimis Romano Imperio ante Carolum M. capite per diu destituto. Huc pertinent exempla Regii Longobardorum, Castellae, Arragoniae, Lusitaniae, etc. Interim non apparet; cur minus dominii illius universalis, restituto a Carolo M. Imperii Romani sublimi fastigio, vis aliqua adhuc exserere semet potuerit, ac possit, Principe quodam supremo axioma Regium petente, et impetrante. Quis enim tantum actum pro frustraneo ac Imperio inutili habuerit, praesertim cum creationis agnitionisque Imperialis tanta ubivis conspiciatur in Orbe Christiano auctoritas, ut nulla alia gens indultum honorem invideat, potius agnitione prompta venerationem, Caesari ac Imperio debitam, contestetur. Itaque nunc liquet, quam male ii statuant, qui, Caesaris hocce jus singulari tantum reverentia, Augusto Nomini exhibenda, vel Advocatia Ecclesiastica inniti, arbitrantur. Non enim constat, quomodo sola veneratio Regiae dignitatis collationem progignat privativam ac talem, quae ab agnitione multum distat. Advocatiae autem Ecclesiasticae jus nihil unquam commune sortitur cum potestate ad Regium fastigium Principes Christianos evehendi. Nam illud saltem respicit

Distinctio agnitionem inter ac creationem.

ſpicit defenſionem Eccleſiae Chriſtianae, armis quoque ſuſcipiendam, ducatum exercitus adverſus infideles, Conciliorum convocationem ac moderationem, Schiſmatum compoſitionem, et alia inſignia jura. Probe igitur ſentit CAESARINVS FVRSTENERIVS, *de Jur. Supremat. Cap.* XXXII. *pag. 101.* cum ait: „ ex creatione Regum et aliis Imperatorum actis, ab omnibus Chriſtianis popu- „ lis dudum agnitis, intelligi, aliquam Caeſari in toto Chriſtiano orbe Jurisdi- „ ctionem eſſe; itemque COCCEJVS, *Jurispr. Publ. C. III. §. 55.* cum jus Imperii in Slavos Orientales tuetur, hanc etiam rationem promit: " quod ſummum im- „ perii eſt, Reges a Germanis accepere.

Neque vero Regias dignitates ſimpliciter indulſere Caeſares, ſed, Diplomatibus publicis eo de negotio editis, quorum conficiendorum jus merito Regalibus adnumeratur, facultatem ſupremam ſatis reſervarunt, vel, ob ſolam hanc collationem poteſtatis quid et dominii directi nunc fuiſſe partum, teſtati ſunt, non renitentibus novis Regibus, quibus magni res momenti videretur, in ſocietatem Vaſallorum et Membrorum Imperii eminentiſſimam cooptari. Neque collatio dignitatis Regiae ſine inveſtiturae cujusdam ſigno peracta. Praecipuum autem praebuit ſignum corona, quae ab Imperatore ipſo novi Regis capiti vel impoſita fuit, vel quoque transmiſſa; atque adeo titulus Regis, mediante inveſtitura quadam conceſſus, tam *beneficiarius* exſtitit, ut Reges feudatarii ſaepius, corona redimiti, Imperatoribus in ſolemnibus Curiis miniſtrarint; de quo teſtantur OTTO FRISING. *L. V. Chron. C. 3.* et *VII. 19.* itemque CZECHERODIVS, *L. III. Mart. Morav. C. 7. p. 390.* *Inveſtitura per Coronam.*

Quae hactenus fuere demonſtrata, multo magis eo obtinent caſu, quo honores, faſtigio Regali inferiores, conceduntur. Profecto nullum unquam exemplum adduci poterit, ubi Caeſares aliquem Germaniae, vel Italiae Dynaſtam ad Principis aut Ducis titulum evexerint, prorſus liberum, nec Imperio antea ſubditum. Igitur clientela et ſubjectio occaſionem ſuppeditavit iſti negotio, ac gratiam Caeſaream veluti elicuit. Honores enim ideo indulti, ut fides, Imperio debita, firmaretur magis, atque ditiones Vaſallorum et ſubditorum verum territorii cujusdam, Regalibus ornati, habitum induerent. Qua ratione commoti paſſim Proceres tam Teutonici, quam Italici, eo ſemper contenderunt, ut axioma Ducis, vel aliud bonis, conquiſitis, innecteretur. Neque minus Imperatores, praeter finem, munimentum fidei et ſubjectionis concernentem, eam omni aevo cauſam Diplomatibus inſerere ſoliti, quod referat dignitatis Imperialis, Fideles ejus, proemiis hujusmodi adſectos, ad res porro ſincere gerendas concitari, et ſolii Caeſarei decus tam veterum dignitatum ornatibus confoveri, quam novis honoribus ampliari; uti Privilegiorum, cum Franciſco Mediceo, cum aliis Italicis Principibus conceſſorum, verba, in primordio praemiſſa, perſpicue exprimunt. Quibus accedit, quod Coſmus I. minus tam anxie a Papa, deinde a Caeſare dignitatis majoris collationem exoraſſet, ſi ejus territorium in plena Libertate fuiſſet conſtitutum. Nam ideo etiam Maximilianus II. tam graviter contradixit, quod idem ad Cameras, i. e. feuda, vel domania, ſive allodia, jurisdictioni ſupremæ Imperii obnoxia, pertineret. Vnde conſequitur, Imperatorem dominium auguſtum et jurisdictionem eminentem inſtar fundamenti praecipue hic collocaſſe, neque adeo fuiſſe opus, ut largitione tituli illam demum compararet. *Collatio dignitatum in Imperio ex ſuprema Caeſarum poteſtate manat.*

His ergo expeditis, facile eſt colligendum, cur incongrue nunc *pag.* LXI. iterum exiſtimetur, Pium V. Pontificem Maximum, multo juſtius poteſtatis aliquid in Etruriam potuiſſe ſibimet adrogare. Principio enim parum huc referre videtur, utrum a Sede Apoſtolica Coſmo I. dignitas Magni Ducis, hoc appetente, fuerit attributa, ſive minus. Neque Coſmum ab opinione illorum, qui titulorum praeſtantiam potentiae et opum cumulo conjungendam eſſe, ſibi habent perſuaſum, adeo abhorruiſſe, non ſolum contentio, cum Duce Ferrariae Ateſtino tam acriter agitata, innuit, ſed quoque NATALIS ALEXANDER, *Tom. IIX. Hiſt. Eccles. pag. 60.* ingenue fatetur centum aureorum millia Pontifici mutuo data,

 comme-

Curiae Romanae jus conferendi dignitates, praesertim intra fines Imperii haud competit.

commemorans. Praeterea compertum est, Curiae Romanae jus Reges, aut Duces creandi nulla ratione vindicari. Equidem, prouti in Bulla Pii V. inter caussas alias contenditur, exempla non desunt, ubi Papali auctoritate Regiae itidem dignitates fuerunt instauratae. At Caesares, potestatis suae gloriose memores, his conatibus graviter saepius ac severe contradixerunt, tam verbis, quam factis. Brevitatis gratia memorabitur saltem, quam enixe Fridericus II. Imperator, hac de re conquestus fuerit, cum in literis, ad Gallos, Cremonae ann. 1245. d. 22. Sept. exaratis, apud GOLDASTVM, *T. I. Conſt. Imp. p. 306.* sic pronunciat: " Cum per „ aliquot retroactos Romanae sedis Antistites, et praesentem, Nos et alios Reges, „ Principes orbis et Nobiles, Regna, Principatus, honores quoslibet, et jurisdictio- „ nem habentes, gravatos merito censeamus, ex eo, quod ipsi, contra Deum et „ justitiam, pro posse, sibi jurisdictionem et auctoritatem usurpant, instituendi seu „ destituendi seu removendi, ab Imperio, Regnis, Principatibus et honoribus suis, „ Imperatores, Reges et Principes, etc. Diserte etiam Scriptor magnae apud Hispanos auctoritatis FRANCISCVS de VICTORIA, *Relect. Moral I. Sect. 5. quaest. 1. pag. 70.* quo loco temporalem Pontificis in toto orbe impugnat jurisdictionem, statuit, *Papam nec facere Reges posse.* Eandem amplexus sententiam J. C. LOBKOVICZIVS, Cistertiensis Regulae Monachus, in *Philippo prud. legit. Reg. demonstr. Lib. II. Art. 3. pag. 100. et Art. 6. pag. 113.* Imo in Bulla Pius V. ipse „ confitetur, se non ignorare, neque Petrum neque alios ejus in primitiva Eccle- „ sia successores, tantam Authoritatem sibi deputasse, ut vel Reges vel Duces „ constituerent. Neque praetereundum est, mirifice a se invicem semper discrepasse missionem impositionemve coronae, a Papa peractam, et illam, quam Caesares haud raro suscepere. Nam cum miserit coronam Pontifex, in signum devotionis id acceptum fuit a Regibus, qui consecrationem magni ponderis rem arbitrati. Atque talis inauguratio a Pontifice fuit celebrata, tanquam Supremo Ecclesiae Capite et Sacerdote, nequaquam domino clientelari. Quapropter Regnum Hungariae, licet certo sensu Apostolicum audiat, et Stephanus, Rex Coronae insigne a Sylvestro III. acceperit, perperam Curiae Romanae adscribitur beneficiis, utpote quod pridem imperio eminuit summo, nullius dominio directo obnoxium. His explanatis, constat, Pium V. nihil juris in Hetruriam potuisse adquirere, cujus certe Bulla, protestatione ab Imperatore solemniter interposita, et declaratione nullitatis peracta omni effectu destituta fuit adeo, ut ipse Pontifex tandem arbitrio et voluntati Caesareae cederet, neque Cosmus I. impositam ann. 1570. Regalem coronam usurpare amplius conaretur, gravem Imperii metuens coërcitionem.

Adsignatio loci dignioris in Capella Caesarea causam Libertatis nihil juvat.

Quamvis autem in Decreto, quod N. XX. producunt, locum digniorem in Capella, immediate post Venetos, Magni Etruriae Ducis Oratoribus concesserit Maximilianus II. Imperator, tamen hinc consequitur minime, ea mente dignitatem fuisse Francisco collatam, ut commentum Libertatis et exemtionis Florentinae veluti comprobaretur. Certe summa hic potestas minui non poterat, cum nulla, quae Suprematum effecerit, adesset. Ac, si dignitas, singulari Decreto illo impertito, fuerit adaucta, id omnino peractum fuit, integro tam jure Imperii, quam praerogativa imprimis S. R. J. Electorum, utpote cui expressis verbis ibidem prospectum. Quin paulo post Sabaudiae quoque Duci jus praecedendi Magnum Florentiae Ducem ab Electoribus adsertum fuit; quemadmodum apparet ex Declaratione Excelsi Collegii de ann. 1582. quam licet ex Archivo Taurinensi jamdum ediderit SAMVEL GVICHENON, *dans l' Histoire Genealogique de la Royale Maison de Savoye, Tom. II. pag. 557.* tamen *Appendici Docum.* sub *lit. W.* inserere haud pigeat. Quae quidem declaratio evincit, Electores Magnum Florentiae Ducem pro membro et Principe Imperii habuisse, eorum, quae vindicandorum jurium causa, a Carolo V. et Maximiliano II. Augustis, paulo ante fuerant peracta, egregie commemores. Atque Sabaudiae Ducem, Carolum Emanuelem, dominium Imperii supremum in Florentinam ditionem insigniter cognovisse, hinc abunde colligitur, quod alioquin Comitia, Augustae-Vindelicorum tum celebrata, et Senatum Electoralem, pro jure suo tuendo, minus adiisset. Quum itaque compertum haberet idem, titulum

Subordinatio Florentina ex Declaratione Collegii Electoralis apparet. Eadem a Sabaudiae Duce agnita.

Magni

Magni Ducis beneficii jure ac titulo indultum fuisse Francisco Mediceo, uti quoque ac frui voluit effectu clausularum salutarium, quae Diplomati insertae. Praesertimque notandum est, Electores pro Sabaudiae Duce intercessisse, quod sit Imperii Status ipse, ex sanguine Germano Ducum Saxoniae oriundus, alia itidem addita ratione, quam memorata Declaratio expromit. Neque in Pontificis Maximi Aula, licet quandoque litem moverit Magnus Florentiae Dux, ambigitur, quin Sabaudiae Dux antecedat, cum ipsa Pii V. Bulla praefert, et Legatis immediatum post Venetos in Capella locum adsignat. Sicubi Magnus Dux classi Principum Supremorum et independentium, qui vocantur, adscribendus merito esset, forte majora itidem circa praelationem jura urgere poterat et consequi, nec alienae forsam dispositioni et judicio subjacebat. Sed omnia consilia, circa extollendam nimis dignitatem et praerogativam aliorum Imperii Principum imminuendam comparata, impediit ac evertit nexus clientelaris et subditius, qui neque in Italia ipsa, fatente GREGORIO LETI, *Part. I. dell' Italia Regn. L. V.* a Vasallis et reliquis Imperii Civibus honorariis ac Membris Regni Italici hodieque in dubium vocatur, nec olim Philippo II. Hispaniarum Regi, incognitus fuit, utpote qui tam ann. 1570. creationi et inaugurationi, Romae susceptae, se graviter opposuit, quam, cum, fama ferente, audiisset, Ferdinandum I. M. Ducem a Rodolpho I. Caesare, axiomatis Regii concessionem ann. 1590. efflagitare, illico rem dissuasit, ac oprimas rationes contra Florentinos produxit, Caesari satis commodas, qui etiam nihil constituit, quod Imperii juribus quidpiam adversaretur, vel quietem Italiae perturbaret; quo pertinent acta, quae exstant inter *Consilia Stat. Europ. a* LVNIGIO nuper collecta, *Part. I. f. 443. seq.* Postquam igitur in ipsa Italia Libertatis ac Exemtionis Florentinae commentum apud Principes, fidei et obsequii erga Imperium memores, explodatur, multo magis in Germania rejicitur prorsus, et, invictis rerum documentis, atque manifestis argumentis suppetentibus, profligatur.

Subjectio Tusciae in tota Italia expedita et cognita.

Diploma D. Leopoldi. Imp. caussam Libertatis nihil adjuvat.

Eadem ratione Libertatis Florentinae causa parum adjuvari videtur, atque instrui, quantumvis Divus Leopoldus Gloriosissimae Memor. Imperator, Cosmo III. Magno Duci, Ejusque legitimis Successoribus, Regios prope honores, fuerit elargitus. Non solum enim Sacratissimus Caesar tot gloriosis factis dominium Imperii Supremum in Etruriam declaravit, sed in Diplomate etiam tali Curiae Stylo usus fuit, qui in Privilegiis hujus generis, circa augmentum dignitatis Principum, sub Imperii potestate constitutorum, versantibus adhiberi solet. Imo ibidem diserte injicitur mentio Decreti Maximiliani II. qui jura supremi dominii adeo efficaciter ac egregie adseruit; itemque excipitur facultas praecedendi, aliis competens, ita, ut exploratum sit, tum S. R. Imperii Electoribus et aliis Principibus, tum singillatim Sabaudiae Duci hic fuisse tacite prospectum, praesertim quum eodem Regiae Celsitudinis titulo utatur. Quapropter Diploma nihil aliud continet, quam confirmationem privilegiorum, jam antea indultorum, eorumque ampliationem ac extensionem, integro utcunque Imperii jure, utpote cui Negotio tali derogari nec debuit, nec, derogatum fuisse, temere unquam est conjiciendum. Et absonum foret, Principes Germaniae illos, qui Serenissimi v. c. cognomen beneficio Augustorum adepti, a reliquis Imperii Membris ideo segregari. Denique nunquam contigit, ut Legati Florentini in Aula Caesarea easdem praerogativas exercuerint, quae Ministris Regiis permittuntur, utpote qui jure introitus publici, tegendi caput, etc. uti consueverunt.

Rescriptum ad Magnum Ducem Cosmum III.

Quemadmodum ergo Diploma Divi Leopoldi, cujus interpretandi et pro lubitu captandi facultas Aulae Florentinae nequaquam competit, privilegii collationem, ob benemerita et sincerae devotionis affectum, gratiosam complexum, jus Imperii manifestum in Hetruriam universam insigniter potius declarat, ita, complura inter alia documenta, hinc quoque perspicitur, quantopere Augustus hoc gloriose exercuerit, quum in Rescripto, d. 20. May ann. 1701. sub *Lit.* X. ad Magnum Ducem misso, eundem fidei et obsequii, Imperio debiti, causa Mantuana occasionem suppeditante, gravissime admonuerit, nulla prorsus terrarum ac dirionum suscepta distinctione. Cui Rescripto Imperiali Magnus Dux nunquam contradixit, vel exemtionem quandam ac perfectam Libertatem intuitu Civitatis

Floren-

Florentiae ejusque Dominii tum quidem jactavit; quin magis variis literis ad Imperatorem datis, ipsisque rerum argumentis, fidem atque devotionem suam Caesareae Majestati et Imperio, tum generatim, tum speciatim exposuit, neque auxilia adversus hostes et Italiae invasores denegavit, facinus Mantuani olim Ducis summopere detestatus.

Vindicatur argumentum Juris imperialis, a praestitis Contributionibus petitum.

Quibus adeo constitutis, facile dijudicandum est, quo successu *pag.* LXI. egregium Imperialis juris, a Divo Leopoldo Caesare in Hetruriam novissime exerciti, argumentum, non a PFEFFINGERO solum memoriae proditum, sed universo Imperio cognitum, explodatur. Enimvero idem illud, praesertim sicubi cum aliis Imperatoris Augustissimi rebus, felicissime ac excellentissime in Italia gestis, connectaretur, tanti omnino est momenti, ut satis jam constet, nunquam praescriptionem quandam dominium Imperii supremum exclusisse, vel nimia indulgentia ejus efficaciae ac indoli aliquid decessisse. Imo ex adversa parte lubenter conceditur, praestationem contributionum revera contigisse, neque negatur, subditum vel vasallum eo legitime adigi posse, a superiore et domino directo, ut collectis publicae rei succurrat. Contra vero ad JCtos, MAGERVM, KLOCKIVM, qui de contributionibus, vi ac metu extortis, disserant, perperam provocatur. Quantumvis enim exinde, quod regionis cujusdam dominus cogatur, ut quantitatem pecuniariam alteri praebeat, ad subjectionem illico aut nexum feudalem argumentum minus valeat, probe tamen casuum diversitas hic animadverti debet. Illi enim Jurisconsulti de eo disserunt casu, sicubi postulans collectas facultate exigendi legitima sit destitutus; quo pertinent verba KLOCKII, *cit. loc. num.* 36. praemissa: " Quamdiu aliqua ex justis causis, utilitate publica, vel etiam „ vera jus collectandi habentis necessitate suffultis, manifeste non apparet, col„ lectae, ut servitutis speciem habentes, omnino odiosae esse censentur. Sed, hoc casu, Magnum Hetruriae Ducem, onera, quae reliqui Italiae Principes, ob vinculi, quo Imperio connexi, conditionem, subire intelliguntur, declinare nunquam potuisse, neque adeo de metu quodam illato conqueri, hinc liquet, quod hucusque dominium Imperii directum plurimis argumentis sic fuerit explicatum, ut nemo, serenae frontis, amplius sit futurus, qui de re manifesta ambigat. Certe D. Leopoldus, Gloriosiss. Memor. Imperator, nunquam imperasset tributa Magno Duci, nisi ipsum numero reliquorum Italiae Principum, Imperialem agnoscentium potestatem, comprehensum judicasset.

Neque vero obstat, quod Caraffa, copiarum Imperatoris in Italia Ductor, in Notula feudorum, sub *Num.* XXI. Florentiam ejusque territorium diserte haud nominarit. Sufficit enim, praecipuam exactionis tributorum causam suppeditasse dominii supremi in Etruriam indolem, atque saltem ideo certa loca fuisse singillatim designata, quod de iisdem investitura solemnis et consueta Magno Duci esset efflagitanda. Id quod ipso facto legitime fuit declaratum, cum ampliores longe, quam minora et propria feuda illa perferunt, contributiones tum fuerint injunctae, tum quoque ulla sine coactione, vel contradictione aperta justa et tempestiva exsolutae; quemadmodum *Rationes et Liquidationes Commissariorum Imperialium* abunde comprobant. Ac, quamvis nimiam collectarum praestationem subinde fuerit deprecatus Magnus Dux, confessus tamen hoc ipso, se, tanquam Florentiae et Pisarum ad vetus dominium spectantium, possessorem, Imperio non exigui quidpiam debere. Ad protestationes itidem, passim post solutionem, jam dum factam, interpositas, responsum satis fuit. Neque Electores querelis aliquem concesserunt locum, nec concedere dignati, exacte et insigniter persuasi, S. Caesaream Majestatem nihil, nisi summo jure summaque aequitate innixam, postulasse. Certe iidem Serenissimi Archi-Principes non solum ipsi Capitulationi, ad exemplum praecedentium, in electione S. Caesareae Majestatis, gloriosissime regnantis, initae, *Art. X.* clausulam de vindicandis et inquirendis Imperii in Italia feudis et domaniis, inseruere, sed quoque, cum animadvertissent, in Specificatione Feudorum ipsorumque redituum, a Comite Rinuccini, Magni Ducis ablegato, exhibita, plura fuisse omissa, inque primis territorii Senarum, certissimi subfeudi Imperialis nullam fuisse injectam mentionem, ad Memoriale ejusdem nihil praeter literas ad S. Caesaream Maje-

Electores juribus Imperii imprimis circa contributionis negotium, satis prospexere.

Majestatem d. 23. Decembr. 1711. decreverunt, quibus consilium saltem suggerunt, ac pro discutiendo propediem Magni Ducis Gravamine et negotio contributionis ad certam regulam et justam quantitatem adstringendo intercedunt. Quinimo quod notatu est dignissimum, nullibi in Memoriali isto ad perfectam quandam Libertatem ac exemtionem Civitatis Florentiae, ejusque Dominii fuit provocatum; sed tantummodo feuda, quorum investituram recipere solet Magnus Dux, enarrata; unde nequicquam consequatur, reliquas ditiones, quarum investitura haud petitur, vel renovatur, tum a tributis immunes, cum quoque in summa Juris Gentium Libertate constitutas esse. Quapropter liquet, idcirco praesertim, quod ditio Florentina plurimum qualitatis allodialis ad mixtum habeat, onera intuitu illius nominatim haud fuisse injuncta, sed agros mere feudales magis consignatos, utpote quibus servitiorum militarium praestatio incumbat. Allodia enim ejusmodi servitiis haud sunt obnoxia; quod tamen ita est intelligendum, ut nihilominus, tempore necessitatis ac belli, pro salute Imperii publica suscepti, hujus necessitatibus sit subveniendum, cum aequitati prorsus conveniat, defensionem istam, qua S. Caesarea Majestas Italiae Principes quoque fovet ac clementissime tuetur, debita subsidiorum datione iterum pensari. Quae quidem Collegium Electorale omnino tum expendit quam sapientissime, non ignorans, tum eorundem Principum nomina Tabulis Imperii Censualibus pridem inserta esse, ad interrumpendam impediendamque omnem, tam suprematus, quam singillatim exemtionis a contributionibus praescriptionem, tum de contributionibus itidem in Italiae oris exigendis, in Conventu Electorali, ann. 1630. Ratisbonae habito, et Comitiis, ann. 1641. in eadem civitate celebratis, serio fuisse deliberatum atque conclusum. Praesertim vero bellorum, adversus Turcas gestorum, tempore Italiae Principes, ne Pontifice Maximo quidem excepto, ad collectas praebendas adstringi, evincit Rescriptum Rodolphi II. Imp. apud GOLDASTVM, *T. II. Const. Imper. pag. 582.* itemque testatur MYLERVS, *de Princip. et Stat. Imp. Cap. XCIX. §. 8.* se, dum Romae fuisset commoratus, postulatum extraordinariae collationis ex Literis Imperialibus, per S. Caesareae Majestatis Legatum, Comitem di Ravatta ad Italiae Principes et Vasallos Imperii missis, cognovisse; quocum consentiunt FVRSTENERIVS, *de Jure Supremat. Cap. LIII.* et LIMNAEVS, *Mantiss. ad Capit. Ferdin. II. pag. 659. seq.* it. *ad Aur. Bull. Cap. I. §. 11. obs. 6. num. 25.* qui Actorum publicorum fide totam rem confirmat.

Contributiones tempore belli Turcici imprimis impetrantur.

Quid si autem concederetur, tot pecuniarias praestationes titulo saltem honorarii, vel singularis auxilii, vel alio, a Magno Duce fuisse peractas, eundem plenissima a contributionibus immunitate gaudere, itemque temporis necessitati aliquando inserviisse, nihilominus imaginariae Libertatis causam parum adjuvabit. Quemadmodum enim in territoriis, habitu prope allodiali indutis, vel, commissionis cujusdam perpetuae vi ac lege, in administrationem et gubernationem vicariam traditis, tum investiturae et jurisjurandi solemnitas, tum ordinariae collectae non adeo locum vindicare sibi solent, ita a feudali etiam nexu servitia, naturale tantummodo efficientia abesse possunt. Immunitate ab istis privilegio expresso, aut tacito, nimirum praescriptione, quaesita, fides vasallitica illico minus exstinguitur. Quam regulam feudorum francorum exempla illustrant.

Immunitas a collectis perfectam Libertatem non infert.

Abunde igitur apparet, argumentum, pro vindicando Imperii jure a novissimis contributionibus depromtum, ponderosum maxime ac idoneum exstare, praesertim quum concluso Statuum Imperii, nuper in Comitiis, secundum intentionem S. Caesareae Majestatis justissimam, confecto. sententia Excelsi Collegii Electoralis, de juribus in Magnum Hetruriae Ducatum pridem concepta, prudentissime plenissimeque fuerit publice declarata. Adeo idem illud testimonium, omni majus exceptione, tantis conjunctum et firmatum est rerum documentis, quanta, vel separatim producta ac expensa, ad perpetuam totius controversiae decisionem sufficere possint. Quae quidem egregia documenta ac integerrimae fidei testimonia, tot summis Europae Principibus jamdum cognita satisque ubivis perspecta, futilitatis ac levitatis coarguere, summae temeritatis tanto magis est, quando rectius

Conclusum Comitiorum S. R. I. novissimum jura Imperii adstruit ac declarat.

H constat,

constat, manifestos ac legitimos titulos dominium Imperii in ditionem Florentinam supremum adstruere, tot investituris, juramentis, ipsorum Florentinorum confessionibus liberis, aliisque actis publicis adeo graviter corroboratos, ut in orbe universo, sano et sincero omnium Gentium judicio, major fortiorque probatio nequeat desiderari. Certe confessiones Florentinorum non scripturis solummodo eorum propriis, nequaquam violenter exactis, vel astute elicitis, sustineri, sed ipsis factis, Annalium quoque domesticorum auctoritate confirmatis, explicari, ita jam fuit demonstratum, ut cuncti animadvertant, idem celebre Justiniani, Imperatoris, Rescriptum, quod *pag.* LXIV. incongrue adeo applicatur, illos condemnare, qui nunc haud tales amplius censeri volunt, quales olim cum semet scripsere, tum, perpetuo futuros esse, ipsa re professi sunt ac sancte contestati.

Ex Confessionibus Florentinorum ipsius Imperii apparet.

Quapropter tanto veritatis robori frustra opponitur, amplius antiquissima possessio quaedam Libertatis, de cujus initio et origine ne ipsis quidem Florentinis constat, cum aliqui a primis Florentinae urbis natalibus arcessant, alii, inque primis ipse Princeps Cosmus I. ad literas exemtionis, a Rodolpho I. Imperatore, concessas, memorante GRATIANO, in *Commendoni Vita, L. III. C. 8. pag. 318.* provocent, atque adeo hoc ipso satis confiteri videantur, Libertatem rationibus undique congestis, fictis tamen et invicem pugnantibus, quin et a prudentioribus civibus dudum rejectis ac explosis, tanquam fulcris certis ac firmis, inniti. Exactissimam profecto Libertatis adsertio praerequirit probationem, quam minime conficiant aliquot Historicorum, vel Jurisconsultorum fallacia testimonia, aut facta quaedam, sive in sinistram partem callide exposita, sive aliis rerum argumentis, longe praestantioribus, solide redarguenda. Itemque malae indicium causae existimatur, si, priore probationis via confestim deserta, talis eligatur, quae, aliunde ducta, ab illa nimirum deflectit, et a veritatis tramite identidem aberrat. Quod quidem apertissimum inconstantiae ac contradictionis vitium aegre purgari videtur, ficta quadam Maximorum totius Europae Principum, quin ipsorum Augustissimorum Caesarum confessione in medium prolata; utpote quae minus in Tabulis aliquot foederum, vel aliarum pactionum fingenda, sed magis expressis, genuinis, atque idoneis agnitionis Instrumentis ac Literis fuerat probanda.

Aperta ipsorum Florentinorum contradictio causam Libertatis reddit suspectam ac prosternit.

Quandoquidem vero ejusmodi agnitionis confessionisque Documenta nusquam fuere producta, quae vel intentioni ac dispositioni S. Caesareae Majestatis justissimae, vel consilio Potentissimorum Regum Foederatorum obstare intelligi possint, imo tot propriae Florentinorum in contrarium confessionis testimonia, infinitis ferme per omnem Imperatorum Romano-Germanicorum seriem exercitae in Etruriam universam supremae potestatis Imperialis argumentis et exemplis connexa, ad evincendum penitus et ab omni dubio liberandum jus Imperii sublimius insigniter unita coëunt atque conciliata, haud conquerendum amplius est Serenissimo Etruriae Magno Duci, vel Senatui Florentino, sicubi Caroli VI. Imperatoris Augustissimi, S. Majestas circa definitionem futurae successionis, ac conservationem summi et directi dominii, iisdem juribus legitime utatur, quae Ejusdem S. Majestatis Antecessor Gloriosissimae Memoriae, Carolus V. circa constitutionem Principatus Medicei, auspiciis Imperialibus, legum pariter atque armorum auxilio communitis, non solum fuit felicissime exsecutus, sed perpetuitati etiam, non intermoriturae, quam sapientissime consecravit. Certe quum Carolus V. Imperator, universo populo Florentino applaudente, Decreti Imperialis auctoritatem summae venerationis, ipso jurisjurandi negotio religiose declaratae, cultu suscipiente, ac fidei suae et devotionis, eodem imperatae, constantiam testante, ipsam civitatis formam ordinarit, tantam rerum conversionem decreverit, et, negotio maximi ponderis perfecto, in Regno Italiae jura Imperialia gravissime confirmarit; multo magis liquet, S. Caesaream Majestatem de Successione in Principatum, jam constitutum, decedente stirpe Mediceae Domus mascula, disponere nunc ac providere ita posse, prouti commodis et juribus Imperii, ac votis consiliisque tot Potentissimorum Europae Principum, qui Imperio bene cupiunt, congruere censeatur.

Quem-

Quemadmodum igitur nihil prorsus excogitari amplius possit, quod S. Caesaream Majestatem a vindicando atque exercendo supremae in Tusciam potestatis jure dimoveat, vel Libertatis cujusdam Florentinae causam tueatur; ita neque justissimae Ejusdem intentioni adversari intelligitur Epistola, ad Joannem Guilielmum, Electorem Palatinum, per Excell. Dn. Comitem de Sinzendorff, Supremum Aulae Augustaeque Domus Austriacae Cancellarium, Francofurthi ad Moenum d. 9. Jan. ann. 1712. scripta, utpote cujus interpretandae jus Aulae Florentinae nequaquam competit. Enimvero de illo saltem casu quaesitum tum fuit, sicubi forte Magnus Dux dispositionem, inimicis Augustae Domus Austriacae commodam, suscipere conaretur; atque adeo neque jus statuendi liberum quoddam tacite agnitum, neque plenae Libertatis territorii Florentini ulla injecta mentio, nec tandem potestati Imperiali aliquid derogatum, quam probe intellexit Elector, non ignorans, verba haud esse captanda, vel ex literis hujusmodi argumenti quidpiam depromendum, quod in praejudicium Imperii detorqueatur, vel intentioni S. Caesareae Majestatis apertissime refragetur. Quapropter apparet, non ideo feuda, quorum investitura extra omne dubium est collocata, ab aliis Magni Ducis ditionibus fuisse distincta, ut perfecta harum Libertas et potestas de successione statuendi, quae inde dimanat, agnosceretur, sed tantummodo indicatum, S. Caesaream Majestatem feudorum, alioquin ad masculos solum spectantium, investituram Electrici Palatinae non fore denegaturam, sicubi Magnus Dux justos intra limites se contineat, neque dispositionem aliquam, successionis intuitu, suscipiat, Eidem Majestati, et (conjunctim) Serenissimae Domui Austriacae minus convenientem, atque ab ipsius Familiae Mediceae officio longe alienam praecipue cum ipsi allodiorum domini, si de Principatu patrimoniali disponere velint, superiori alicui subjecto, id agere debeant, ne in hostem quendam vel extraneum, suspectae fidei et amicitiae, res transferatur, nedum Magnus Tusciae Dux, utpote in cujus Ducatu *mixtura* qualitatum, feudales et allodiales, conspiciatur, quarum illa tam superioritatem Imperio, quam fidem et devotionem Domui Mediceae adsignat, itemque jus consolidationis et aperturae, exarescente stirpe mascula, constituit, haec vero immunitatem a petitione investiturae, praestatione jurisjurandi, ordinariisque contributionibus complectitur. Quae S. Caesareae Majestatis Sententia ex Epistola alia, ad Ablegatum Magni Ducis Etruriae, Trajecti ad Rhenum 15. April. ann. 1713. exarata, tantum non impugnari potest, ut potius liqueat, ibidem diversa prorsus proponi, quae nulla ratione adsertioni causae Florentinae inservire queant, ut puta quae fortioribus multo adminiculis et aptioribus propugnanda fuerat argumentis, siquidem non solum Acta et Vota Consilii Imperialis Aulici, ann. 1714. confecta, et omnem facultatem condendi pacta successoria Magno Duci denegantia, deberent elidi, sed quoque Articulus V. Foederis Quadruplicati, et Conclusum Comitiale injustitiae cujusdam convinci. Quae omnia hinc magis adhuc declarantur, quod, Magno Duce, Cosmo III. nuper vita defuncto, propria auctoritate dispositionem sibi adrogante, satis praegnantes exseruerint semet causae, quibus ducta S. Caesarea Majestas, feminei sexus nulla amplius habita ratione (utpote cujus sustentationi, dignitati Principis convenienti, ex allodiis, post constitutum Principatum a Domo Medicea comparatis, bonisque, separatim adquisitis, satis prospicitur, atque aliunde etiam debito modo cavetur) negotium successionis Florentinae gravissimum alio prorsus instruxerit modo, atque jura Imperii inveterata et manifesta insimul ad seram usque posteritatem ita consolidarit, ut Constitutio haec Imperialis nullis malevolorum artibus, vel aliis mediis infringi aut labefactari queat.

Declaratur Epistola, ad Electorem Palatinum scripta.

Mixtura qualitatis allodialis in Magno Etruriae Ducatu se exserit.

In definitione Successionis Florentinae sexus feminei ratio non est habenda, nec ad Fideicommissariam quandam vel aliam Domus Mediceae dispositionem respiciendum.

Quandoquidem ergo S. Imperii Romano-Germanici jura invictis nituntur rerum argumentis neque supremum hic et directum in universam Tusciae regionem Dominium Reservatumque Majestaticum ab ullo unquam Imperatore fuisse abdicatum, ostendi potest, ita ex omnium Gentium moratiorum et veritatis amantium sententia, nullae prorsus exstant rationes, quae id efficiant, ut vel S. Caesarea Majestas atque Excelsi Imperii Ordines inanem quendam libertatis praetextum admittant, vel Potentissimi Ejusdem S. Majestatis Foederati Principes confi-

 lium

lium, non ſine perfecta totius rei cognitione ac debita circumſpectione captum, aſſertionis tam lubricae tamque incongruae cauſa, nunc demum immutent, ſatis conteſtati, ordinatione ſucceſſionis proviſionali Domui Mediceae Maſculae, adeoque Sereniſſimo Magno Duci, Joanni Gaſtoni, Patris, nuper vita defuncti Coſmi III. Succeſſori legitimo, feliciter hoc tempore regenti, Ejusque poſſeſſioni ac juribus, itemque Florentini populi inſtitutis ac privilegiis nihil praejudicii vel damni iri conciliatum, atque eo ſincere et laudabiliter maxime contendentes, ut communis Europae tranquillitas inſtaurata conſervetur, atque ſua Italiae praeſertim publica quies ac ſalus eo certius conſtet; qui finis optimus ac praeſtantiſſimus non poſſit obtineri, niſi votis ac conſiliis, pro communi bono ſuſceptis, obſecundetur ita et obtemperetur, ut cauſa imaginariae Libertatis Florentinae nunc tandem deſeratur, atque prioribus Inveſtituris et Homagiis novae iterum inveſtiturae, nova Homagia, Dominium Imperii conſervantia, et adverſus quamlibet ulteriorem Libertatis ac Exemtionis uſurpationem communientia, adjiciantur.

AP-

APPENDIX.

VARIA

DIPLOMATA, ET ACTA

ATQVE DOCVMENTA

PVBLICA,

EX ARCHIVIS IMPERII AC ALIVNDE

DEPROMPTA,

CONTINENS.

A. *Decretum Beatricis, Duciſſae, Mathildis matris, Florentiae datum ex MSto.*

DUm in Dei nomine, in Civitate Florentia, intus Palatium de domu S. Joannis in Judicio reſedebat Dna. BEATRIX Ducilla er Marchioniſſa, uxor GOTTIFREDI glorioſiſſimi Ducis ad cauſas audiendas ac deliberandas intentiones ad vicem ſupra dicti Viri ſui; reſedentibus cum ea Villelmus, qui Bulgatello vocatur; et Vuido Comites Rothericis, et Vgo, et Gotefredus, et Petrus, et alius Petrus Judices, et Vuinibaldus qui Saracino vocatur filio b. m. Aezite, Alberico filio b. m. Joannis et Vberto filio b. m. item Vberti et Alberto filio b. m. Rodolfi, et Paganus filio b. m. Rolandi, et Vgo filio idem Vgonis, et Ildebrandus filio b. m. Gherardi et Rainerius filio Germi/i et Theuderico filio Ildebrandi, et Vuido filio Cunimundi, et reliqui plures ibique in eorum, et praedictorum praeſentia PETRVS Abbas de Eccleſia, et Monaſterio Beatiſſimae S. MARIAE ſita in civitate FLORENTIA, una cum Wido Advocato ſuo, et eidem Eccleſiae, et ceperunt dicere, habemus et tenemus, ad proprietatem et partem de ſupradicta Eccleſia et Monaſterio S. MARIAE, integram una ſorte, et res, quae poſita in loco, qui vocatur Mannozie, ſicut recta eſt per Joannem Presbyterum, et Azo et Benedicto et Raimberto, et per eorum Conſortes, una cum terris, vineis, hortis, et Dominicatis et Maſſaritiis, et univerſis rebus ad ipſam ſortem ſunt pertinentes, et ſunt infra Territoria Plebium S. Mariae ſita Ciliuaccolo, et S. Petri in Mercato; ſi eſt ullus homo qui adverſum nos ad partem ſupradictae Eccleſiae et Monaſterii aliquid exinde agere, aut cauſare vel intentionare mittere vult, parati ſumus cum eo in ratione ſtandum, et per legem finiendum, et quod plus eſt, quaerimus veſtri mercede, ut vos faciatis pro Dei timore, et Animae DNI. REGIS, et veſtrae remedium, ut mittatis BANNVM ſuper nos, et ſuper praenominatam ſortem, et res, ut ſupra legitur, ad partem ſupradictae Eccleſiae, et Monaſterii; et tunc ipſa BEATRIX Ductrix per conſolationem ſupradictorum Judicum per FVSTEM, quem ſua detinebat manu, miſit bannum Domini REGIS ſupra praedictum Abbatem, et Advocatum ejus, et ſuper jam dictam ſortem, et res, qualiter ſupra leguntur ad partem jam dictae Eccleſiae et Monaſterii S. MARIAE in Mancuſos aureos duo millia, ut nullus quislibet homo, magna parvaque perſona, jam dictum Abbatem et Advocatum ejus, vel eorum ſucceſſores ad partem praenominati Monaſterii de praenominata ſorte, et rebus, ſicut ſuperius legitur, audeat eos diveſtire ſine REGALI judicio. Qui hoc vero fecerit, praedictos duo millia Mancuſos aureos compoſiturum ſe cognoſcat, medietatem CAMERAE DNI. REGIS, et medietatem ſupra dicto ABBATI, et ADVOCATO ejus ad partem ſupradicti Monaſterii, et de ſuis Rectoribus, et futura oſtenſione fieri ammoverunt. Quod quidem et ego Joannes Notarius ex juſſione praedictae BEATRICIS Ductricis, . . . et Judicum admonitione ſcripſi **An. ab Incar. Dni. LXI. poſt mille Kal. Decembris, Indictione XV.**

Rotecherius Judex interfui
Vgo judex Domini Imperatoris interfui
Petrus Judex Sacri Palatii interfui.

Caro-

B. *Caroli IV. Imp. Privilegium Academiae Florentinae concessum ex Vghelli T. III. Ital. Sacr. p. 203.*

PEtrus *Florentinus Episcopus* - - civitatis Florentiae et Ecclesiae Florentinae non immemor, devotione congrua Majestati nostrae humiliter supplicavit, quatenus tam ad honorem Ecclesiae suae peaefatae, quam civitatis Florentiae, quam Deus multarum virtutum praerogativa donavit, studium, quod innibi viget, etiam ad Sacri splendorem Imperii, *auctoritate Sacri Imperii* erigere dignaremur. Hinc est, quod precibus praedicti Florentini Episcopi favorabiliter annuentes, praefatae Ecclesiae suae, et civitati Florentinae ac ejus communi, generale, perpetuum, atque generosum studii generalis *privilegium*, *auctoritate Imperiali* damus, et concedimus liberalitate munifica - - - decernentes *Edicto Imperiali* praesenti valituro perpetuo, et de *Imperatoria potestatis plenitudine* statuentes, ut in ipsa civitate Florentina studium perpetuum sit, et habeatur in sacra pagina, in Jure Civili, et Canonico, ac Medicina, Philosophia, Logica et Grammatica, ac quavis alia licita facultate, possintque omnes et singuli Doctores et Magistri pro communi Florentino ordinandi ac deputandi in civitate praedicta Florentina, utpote in studio generali solenniter et publice in memoratis facultatibus legere et docere. Verum, si qui fuerint, qui processu temporis adeo profecerint, quod in aliqua scientiarum seu facultatum praemissarum ad Magisterii seu Doctoratus dignitatem et titulum desideraverint promoveri, hac nostra Imperiali auctoritate committimus Episcopo Florentino, qui est, et qui erit pro tempore, quem superiorem studii ordinamus, quatenus - - - solenniter illos diligenter examinet more generalium studiorum, ac taliter examinatis det licentiam publice in eadem scientia et facultate legendi docendi. - - - Quae omnia sede Episcopali vacante committimus capitulo Ecclesiae Florentinae, quod per se vel per alium praemissa similiter exsequatur. Caeterum - - - Rectores, Doctores, scholares seu studentes studii Florentini praedicti, eorumque universas et singulos familiares et ministros, nec non domos et scholas, in Nostram et Sacri Romani Imperii protectionem, tutelam et defensionem recipimus specialem, etc.

C. *Extractus ex Instrumento Pacis, Blesiis initae inter Maximilianum I. Imp. et Ludovicum XII. Franciae Regem d. 22. Sept. a. 1504. ex Archivo Imper.*

QUod Maximilianus Rom. Rex, contra Sabaudiae et Ferrariae Duces, Montisferrati, et Mantuae Marchiones *Dominium Florentinum*, communitates Senensem, et Lucensem etc. nihil faciet aut attentabit, nisi *superioritatem*, honorem, et obedientiam, quam ipsi debent Suae Majestati, et Sacro Rom. Imperio, denegaverint. Item: Ad Serenissimi, et Christianissimi Regis Francorum petitionem et instantiam, Serenissimus Rom. Rex vult indulgere et indulget, per praesentes, Duci Ferrariae, Marchionibus Montisferrati, et Mantuae, *Florentinis*, Lucensibus, Senensibus, et Domino Alberto de Carpi, et Joanni Petro de Gonzaga, omnia quae ab eo die et tempore, quo Christianissimus Rex Carolus, novissime defunctus, primum ingressus est Italiam, usque in hunc diem, contra suam Majestatem, tanquam Rom. Regem, et Sacrum Imperium commiserunt, aut quovis modo committere potuerunt, etc. et quod ipsi deinceps Rom. Regi et sacro Imperio, sicut ceteri *subditi*, *obedientes*, *subditi et dediti* esse debeant, et teneantur. Et si de caetero in his, quae Rom. Regi et Sacro Imperio exhibere tenentur, *rebelles et minus obedientes* erunt, aut aliquod aliud contra eum committent; quod tunc unusquisque Rom. Rex aut Imperator eas, secundum viam, ordinem, aut *legem Imperii punire* possit, et in isto, neque in aliis quibuscunque principatibus, communitatibus, civitatibus, provinciis, dominiis, et jurisdictionibus totius Italiae, etc. quae Romanorum Regi, aut Imperio quovis modo spectarent, nullus Rex Franciae unquam Rom. Regi, aut Imperatori, neque Imperio, aliquod impedimentum inferre, neque praefatis, aut aliquibus contrariis, aut rebellibus Imperii, adjumentum directe neque indirecte dare, sed de his omnibus penitus abstinere velit et debeat.

Lite-

D. *Literae Florentinorum, federis initi causa, ad Carolum VI. Franciae Regem, d. 30. Decembr. a. 1396. scriptae, ex Bibliotheca Guelpherbytana.*

Redeuntes à sublimitatis Vestrae conspectu (Serenissime atque Gloriosissime Principum, metuendissime Domine, nostrique populi columen, Guelphorumque, hoc est Regiae Majestatis Vestrae sequacium, spes et praesidium singulare) nostri Procuratores atque Legati, nobis incredibili cum laetitia nostrarum mentium retulerunt, quanta cum benevolentia, serenitate, et benignitatis affectu per Vestram supereminentiam visi fuerint, quam gratantèr audivit, quam gratiose et humaniter exaudivit, quibusque ipsos prosecuta fuerit honoribus Regalis magnificentia, nostrae devotionis intuitu, ac quantum et qualem dilectionis et benevolentiae animum, erga nos, et nostrum populum, et in verborum dulcedine, et in petitorum exauditione, et in effectibus operum ostendistis. Pro quibus quidem, Gloriosissime Principum, non humanis, non transitoriis beneficiorum muneribus, sed divinis potius et aeternis, quid Regali clementiae debeamus; licet sentiat nostra devotio, nec intelligere possumus, nec proferre; tanta siquidem non mensura, sed immensitate, non solum omnia simul, sed etiam singula statum humanarum mentium antecellunt, quod veluti sublime quoddam, inaccessibile, immensum et infinitum, nec comprehendi valeat, nec finiri, mortalisque intellectus viribus adequari. Ecce quidem, clementissime Regum, cum nostra fuisset devotionis integritas tot figmentis, totque mendaciis, quot scivit et potuit, qui vestris obviare moliebatur inceptis, vipera sicut abundat astutia, cogitare, tot modis et verisimilibus concinnata, quod facillime potuisset id alteri persuadere, divina illa Serenitatis Vestrae prudentia, nostrae puritatis innocentiam, primo literis, deinde vivae vocis oraculo, non solum excusatam habuit, sed humanissime recognovit; Credimus equidem adeo praeter solitum, imo contra naturam Vestrae clementiae visum esse, quod *populus Florentinus, imo Regius, majorum siquidem vestrorum opificium et conservatio (sumus)* quidquam contra Vestram Celsitudinem cogitaret, quod sicuti durum Vobis fuit criminationi cedere, sic facillimum atque gratum nostram innocentiam comperire; Maxima quidem rebus fides adhibetur, et demitur ex qualitate et convenientia personarum, de quibus, quicquid malitiose confingitur, rebus etiam non discussis veritas quodam quasi modo sentitur, nec satis fuit veritati nostrarum excusationum cedere, sed etiam, quod loco maximi muneris nobis fuit, quod de regno Vestro, pro defensione nostrae libertatis, gentes, et gentium ducem potentissimum concessistis, adjiciendo, quod plus quam maximum est, quod *Regale vexillum, quo semper, ab inlytae memoriae, Karolo Magno, progenitore Vestrae Majestatis et sanguinis usi fuimus*, beneficio et concessione Vestra possemus erigere, et puri vestri servitores et filii, pura lilia contra duplicis cordis et linguae virum, qui viperis venenosis lilia facta permiscuit, objectare; Nec satis haec fuerunt benevolentiae vestrae zelo, sed veluti res Vestri culminis ageretur, pro conservatione nostrae libertatis et status, more majorum Vestrorum, qui nunquam nos ab aliquo pessumdari passi sunt, omnem Vestram potentiam obtulistis; nihil plane tot beneficiis adjici posse, benignitatis Vestrae magnitudinem ignorantibus videretur, sed ecce, quod supremum, et omnium maximorum maximum est, quod offerendo protulit Vestra benignitas, foederibus et colligatione firmavit, ut quod prius erat liberum de voluntate spontanea, nunc ex obligationis nexu sit in debiti naturam et formulam commutatum, quique prius eramus devotione servitores et filii, foedere sumus, quod cum humilitate dictum sit, in societatem (sic enim voluit Vestra benignitas) tantae Majestatis adsciti. Quis ergo tantae clementiae et humanitati gratias factis referat, vel etiam verbis agat? Deficimus plane, Gloriosissime Princeps, cum ad ista respicimus, nosque in tantarum rerum retributione deficere videmus, habebimus tamen perpetuas gratias, nec ulla dies unquam tot beneficiorum immemores atque vel ingratos, praestabimus, quod in nobis est, devotionem et fidem. et si non poterimus usui fore, conabimur saltem inutiles nunquam esse. Quid autem post hujus ligae famam publicationemque successerit, brevissime referemus, ut

cogni-

cognito statu rerum possit amplitudo Vestra tam honori suo consulere, quam, ne perdatur bene rei gerendae facultas, et occasio, praevidere.

Principio quidem opera nostra factum est, ut Domini Estensis, Paduanus, Modenanus, et Mantuanus Marchiones, hanc ligam et foedera comprobarint, nec non et magnifici nostri fratres, Bononienses, nostrum, qui more id fecimus, et aliorum exemplum ratificatione legitima sequerentur. Quanto vero furiarum aestu Mediolanensis Dux exarserit, non posset literis explicari, et ob id hoc referendum vivae vocis officio per Oratores, quos jam elegimus, reservamus; Verum hoc tantisper, et sub compendio subjungemus, quod tam ipse corruptae mentis, et de sua salute desperans, et Papam, et *Imperatoriam* Celsitudinem, et quicquid potest humanum divinumque nititur commovere; Quin etiam ad civitatem Pisanam, quae nobis est concermina, sibique summae dilectionis vinculis nexa, omnem suam potentiam congregavit. Illic quidem Comes Albericus, suarum gentium Capitaneus generalis, illic Comes Joannes de Guino, Paulusque Sabellus, illic Thesaurarius ejus, Dominus Nicholetus de diversis, illic supremus ejus Consiliarius, Octolinus de Mandello, illic etiam Dominus Broliac Paulus Ursinus, Dominus Octobonus tertius Circholinus de Nuchiolotis maximi societatum Duces, adsciti de partibus patrimonii Sancti Petri, in Tuscia congregantur, et tantus est gentium apparatus, quod, sicuti verissima relatione sentimus, tentaturi sint fines nostros bello, minenturque sese ad usque civitatis nostrae moenia progressuros, expectaturi quod Vestrae Serenitatis auxilia de Franciae partibus evocemus, quibus noster populus debeat se tueri. Nos autem è contra nostram similiter potentiam praeparamus, non solum viriliter restituri gentibus praefatis in Tuscia, sed ipsum, ne quietus nobis bellum inferat, aggressuri taliter quod nos sentiat in Lombardia. Verum, Invictissime Princeps, tametsi spem geramus in Domino, qui justitiam nostram novit, nec non et de bonis tantum assumamus fiduciae, quod alias eum experti suos conatus oppositis nostris viribus elidemus, summa tamen tam spei, quam rei, post Deum, est in potentia fortissima Vestrae Gloriosissimae Majestatis, quae sibi tam potenter de tot partibus - - - Dignetur igitur Vestra sublimitas; in cujus injuriam haec nobis, sicuti cernitis, inferuntur, considerare statum rerum, nec novi temporis indulgentiam expectare, sed in isto principio taliter ipsum, qui solum in tarditate Vestra sperat, tamque celeriter deterrere, quod antequam cogitet, invadatur, quod si fiat, tota belli moles in fines suos et in oculis ejus reducetur, et sine cunctatione dabitur in ruinam. Tota vis hujus rei est in celeritate et fide, ut sine temporis intercapedine res agantur, talesque transmittendis gentibus proponantur, quorum ingentem habetis copiam, qui nec aures blanditiis porrigant, et honorem Vestrae Serenitatis etiam vitae propriae non postponant, sciantque pessimas artes suas, quibus impedire Vestra coepta tentabit, virtute atque prudentia praecavere. Necessarium autem est, quod Serenitas Vestra scribat Gubernatoribus Vestrae civitatis Januae, quod tam Pisanis quam dicto Comiti mare reddant infestum, et in favorem nostrum sicut expedit, operentur. Haec tamen et alia decem officiales Bailliae nostri Communis, qui rebus bellicis praefecti sunt, et multas rerum copias intimabunt. Caeterum prudentissimus Vir Dominus Gunterus de Collis, Vestrae Majestatis Secretarius et Orator, omnia plane vidit, cunctaque fidelissime referet viva voce. Datum Florentiae, die trigesima Decembris, quinta indictione, anno millesimo trecentesimo nonagesimo sexto.

Serenissimae Majestatis Vestrae devotissimi Servitores Priores artium et Vexillifer justitiae populi et Communis Florentiae.

Subscriptio literarum praedictarum talis est:

Serenissimo atque Gloriosissimo Principum et metuendissimo Domino Domino Carolo Dei Gratia inclito Francorum Regi, singularissimo et benignissimo Domino.

Diplo-

E. *Diploma Rodolphi I. Regis Romanorum, quo Johannem de Avesnis Vicarium Imp. per Thusciam constituit, ex Thesauro Anecdot. MARTENII Tom. I.*

RUdolphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliarum Ecclesiarum Praelatis, Principibus, Nobilibus, Comitibus, Civitatibus, Communitatibus, Universitatibus, Oppidis, Castris et villis, et personis singularibus quibuscumque, in partibus Tusciae constitutis, gratiam suam et omne bonum.

Commissiones seu procurationes quascumque honorabili viro Rudolpho electo Salzburgensis Ecclesiae, Imperialis Aulae Cancellario, in bonis, possessionibus, redditibus, proventibus, civitatibus, castris, munitionibus, jurisdictionibus, nec non in aliis, in quibus, mandatum requiritur speciale, de terra Tusciae per nos factis, in omnibus suis articulis expressius revocantes, ad notitiam vestram cupimus pervenire: quod nos spectabilem Virum JOANNEM de AVESNIS Comitem Haynnoniae fidelem et familiarem nostrum dilectum constituimus, facimus et ordinamus, *Nostrum et Romani Imperii in partibus Tusciae Vicarium generalem*, et insuper procuratorem et nuntium Nostrum ad exigendum, petendum et recipiendum Nostro, et ejusdem Imperii *nomine fidelitatis, homagii, et servitii nobis debiti sacramenta*, a quibuscumque personis, vel locis, Nobis in eisdem partibus Tusciae eadem debeantur, et ad petenda et recipienda bona, possessiones, redditus, proventus, civitates, castra, munitiones, jurisdictiones, et jura quocumque nomine censeantur in eisdem partibus Tusciae pertinentia ad Nos, et Imperium supradictum, et ad ordinandum et disponendum de ipsis, quicquid sibi videbitur expedire, et judices et officiales constituendum in negotiis et causis quibuscumque, sicut Nos ipsi eosdem constituere possemus, si praesentes essemus, et ad statuendum, tractandum et faciendum in praedictis partibus Tusciae, omnia et singula quae verus et legitimus Vicarius, procurator et nuntius, plenum mandatum et liberam administrandi potestatem habens à Nobis, facere potest, et debet, de consuetudine vel de jure, in illis etiam casibus, in quibus mandatum requiritur speciale. Sententias etiam, bona, poenas, et multas, tam in causis criminalibus, quam pecuniariis, et aliis quibuscumque, quas idem, vel constituti ab eo judices, officiales vel executores tulerint, imposuerint, vel exegerint, ratas habebimus, et faciemus, Domino concedente, inviolabiliter observari. Damus praeterea praedicto Comiti plenam et liberam potestatem et speciale mandatum, rebelles et indevotos, si quos (quod avertat Altissimus) in partibus Tusciae repererit, qualiscumque conditionis extiterint, privandi feodis, castris, terris, gratiis, libertatibus, districtibus, privilegiis, juribus, et jurisdictionibus quibuscumque, quos, quas, vel quae iidem tenere ab Imperio dinoscuntur. Nos quoque gratum, ratum, et acceptum habebimus, quicquid per dictum Vicarium, procuratorem et nuntium Nostrum actum, et gestum, statutum, judicatum, et ordinatum fuerit in praemissis, et circa praemissa, vel quaelibet praemissorum.

In cujus rei testimonium, praesentes literas fieri, et pendenti sigillo Nostrae Regiae Majestatis, in evidens testimonium praecepimus communiri.

Datum Friburgi, Kal. Maji, indictione XII. anno Domini MCCLXXXIV. Regni vero Nostri anno XI.

F. *Charta, qua Clemens IV. Pontifex Max. Carolum, Siciliae Regem, Vicarium Imp. in partibus Tusciae constituit ex Raynaldo ad ann. 1267.*

CLemens etc. charissimo in Christo filio, Carolo, Illustri Regi Siciliae, salutem, et cum Te in partibus Tusciae, *Romano subjectis Imperio nunc vacanti*, pacis constituerimus per Nostras sub certa forma literas servatorem, in eisdem tibi paciarii seu pacis servatoris officium committentes; dictum officium, et omnia in eisdem Tibi

concessa literis, caeteraque ad hujusmodi solidationem negocii pertinentia, ea te lege volumus tantummodo usque ad triennium obtinere, *quod si forsan Imperatorem vel Regem Romanorum a sede Apostolica approbatum infra praedictum tempus regnare contigerit*, aut per sedem eandem praedictum Tibi officium interdici, Tu amplius eodem officio ultra mensem post interdictum hujusmodi non utaris; et si contrarium feceris, eo ipso personam Tuam excommunicationis, terram vero interdicti sententiis, quas propter hoc ex nunc ferimus, decernimus subjacere. Dat. Viterbii II. non. Junii Pont. Nostri anno III.

G. *Tabulae, quibus Bonifacius IIX. Pontifex Max. Carolo Valesio, nomine Imperii, officium Vicarii in Tuscia concedit, ex RAYNALDI Contin. Baronii, ad ann. 1301.*

VEnerabili fratri Portuensi Episcopo.

Cum nobilis provincia Tusciae multis foret confossa doloribus, guerrarum concitata dissidiis, civilibus bellis licentiae laxatis habenis, ac deformata ruinis, decuit Nos ad animarum, corporum et rerum vitanda pericula, in ipsa prosequi vias pacificas, et ad unitatem reducere dissentientes, ne se mutuo lacerarent, impeterent, ac molestarent injuste; ut tam nobilis tantaque provincia in tabernaculis fiduciae requiesceret, et in pacis dulcedine habitaret; et per hoc in ea purgaretur haeretica pravitas, cohiberetur praedonum audacia, honoraretur S. R. Ecclesia, et fidelium devotio nutriretur. Ad nos namque relatio fide digna perduxerat, quod nonnulli de dicta provincia cum malitiae suae conscii, atque consortibus habentes de ipsius turbatione pruritum malignitatis suae, in favorem Nostrorum, et Apostolicae sedis rebellium, suos illicitos conatus moliebantur extendere, ut non cuiquam sua confirmaretur justitia, non cuiquam status suis debitus meritis servaretur. Unde cum fratribus Nostris, habita deliberatione matura, *attendentes quod Romanum vacat Imperium*, cujus ad Nos, praesertim hoc tempore pacifica conservatio dignoscitur pertinere; dilectum filium, nobilem Virum Carolum, natum clarae memoriae Philippi Regis Francorum, Comitem Andegavensem; de cujus strenuitate, armorum experientia, et bonitate confidimus; *conservatorem pacis in ea parte ipsius Thusciae*, quae praedicto Imperio subjacet, de fratrum eorundem consilio duximus deputandum. Qui provinciam ipsam potenter et prudenter ingressus, hujusmodi commissum sibi paciariatus, seu conservandae pacis officium, Divina sibi assistente virtute, coepit laudabiliter exercere: ita quod devoti et fideles Ecclesiae saepe dictae, de ipsa provincia habere poterunt, dante Domino, bonum statum, eruntque prava indirecta, et viae asperae planabuntur. Verum, ut haec salubrius et efficacius impleantur cum quiete ac pace, Te, de cujus legalitate, bonitate, circumspectione, et experientia matura confidimus, ad partes easdem providimus destinare, in eadem provincia Nostra tibi auctoritate concessa; per cujus dictus Comes favorem protectus, directus consilio, et maturitate adjutus, commissum sibi officium, juxta beneplacitum Divinum et Nostrum, cum moderatione, ac mensura, tranquillius et utilius possit debitae executioni mandare.

Quocirca Fraternitatem Tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per Apostolica Tibi scripta mandantes, quatenus Te celeriter accingens, et ad partes illas personaliter festinus accedas, et ad ea, quae Comiti memorato commisimus efficaciter promovenda, et laudabiliter consummanda in provincia saepe dicta per Te et alios, de quibus expedire videris, ipsum solerter inducas, et tam Tu, quam ipse vestra studia convertatis ad seminandum in ea semen charitatis et pacis; ut sedatis guerrarum et dissensionum turbinibus, qui nimis invaluerunt ibidem, provincia ipsa tot impulsibus agitata, quasi post noctis tenebras, floridum diei lumen adspiciat; post glaciei frigus hyemis, aurea sibi tempora, et serena succedant, in quibus afflicti non solum temporalem laetitiam, sed aeternam, auctore Domino, consequantur, contradictores et rebelles auctoritate Nostra per Te, vel per alium, seu alios, per spirituales poenas, appellatione postposita, compescendo etc. Datum Laterani VI. non. Decembris anno VII.

Tenor

H. *Tenor Compositionis inter Carolum IV. Regem Romanorum, et Florentinos an. 1355. initae, ex SCIPIONIS AMMIRATI Hist. Flor. L. XI.*

ESsendosi dunque gli ambasciadori stretti con Cesare, dopo molte contese, per le quali egli proruppe ad ira grandissima, fu chonchiuso l'accordo con questi capitoli. Che Carlo Re di Boemia, eletto Imperadore cassàva, e annullàva tutte le sentenze, et condennagioni, le quali per addietro fossero satte ò pronunziàte contro la città, cittadini, et comùne di Firenze, et suoi contadini; et contra i conti da Battifolle, da Doàdola, da Mangona, et da Vernia per gl' Imperadori Romani, et Rè de Romani suoi antecessori, et tutti et ciascuno intero restituiva ne suoi honori, giuridizioni, et domini personali et reali. Che i comùne, popolo, città, contàdo, et distretto de Firenze si reggesse secondo gli statùti, et le leggi municipali, e ordinamenti consuèti del detto comùne, con facottà di poterne fai di nuovo, i fatti approvando, et confermando assolutamente, et quelli da farsi, in quanto le comune leggi espressamente non li riprouassono. Che i priori dell'. arti, et gonfaloniere della giustizia, che sono, et che per i tempi saranno all' uficio del prioràto, sieno irrevocabili suoi vicari, il tempo della sua vita. I Sindaci dall' altro canto à voce et à nome della Repùblica dovessono à lui in pubblico far la sommèssione, et l' ubbidienza, riconoscendolo per vero eletto Imperadore. Che per tutto ciò che obbligati fossono per li tempi passàti insino al presente à lùi, e à tutti suoi antecessori, per qualunque ragione, ò cagione dire ò nominar si potesse, et per tutte le terre, che il detto commùne tiene, e hà tenùte in suo contado, et distretto, promettessono per tutto, agosto primo, in quattro paghe fiorini cento mila d' òro, che ogn' anno del mese di marzo douessono dare al detto Imperadore Carlo, alla sua vita solamente, quattromila fiorini d' òro, per compensazione *di censo, in quel che le città di Toscàna fossero tenute di ragione all' Imperio*, e oltre acciò per tutte, et singule quelle cose, le quali il detto comune per se, et per lo suo contàdo, et distretto dire si potesse, che all' Imperio fossono ad alcuna cosa obbligàti. Volse che i banditi e èsuli dalla città di Firenze, per hauer adherito, ò ubbidito à Arrigo Imperadore fossero rimessi, con godere delle cose loro, non gli liberando da altri bandi ò condennagioni, caso che ne hauessero per altro. Che non impedirebbe il comùne et popolo di Firenze nel gouerno della città, castelli, terre, et luoghi che possedeua, gouernava et custodiva in tutto ò parte; Nè à richiesta d' altri gli piglia-rebbe l' armi contro, ò farebbe di potenza; come non farebbe ne anche precetti penali, perche rilasciassero ò restituissero; ma amministrerebbe giustizia concitazioni, et sentenze; et tutto vol se che non s' intendesse in pregiudizio delle tèrre et luoghi che il comùne di Firenze teneua in pegno dagli Aretini, a'quali rendendo il danàro fossero restituite. Questi furono i capitoli stipolàti tra Cesare è Fiorentini, publicati il ventunesimo giorno di marzo nel duomo di Pisa.

Subsequitur *Ejusdem Compositionis capita, ex PAULI TRONCII Annalibus Pisanis.*

CHe Egli cassasse, ed annulasse tutte le sentenze, e condannagioni per avanti fatte, ò promulgate contro il commune di Firenze, suo Contado, e suoi aderenti, da gl' Antecessori Imperatori, e Rè de' Romani.

Che il commune di Firenze, suo contado, e distretto si reggesse conforme à gli statuti, con facoltà di poterne compilare degl' altri, NON CONTRARII però alle leggi Imperiali, e s' intend essero sempre APPROVATI da S. M. C.

Che i Priori delle arti, ed il Gonfalonieri, che sono, e che per i tempi saranno dou essero essere perpetui suoi VICARII IMPERIALI.

Che S. M. si contentasse per GRAZIA speciale di non entrare in Firenze, ne meno in terra alcuna murata del suo distretto dall' altro cantto douessero i Sindachi della Republica Fiorentina a nome d'essa far la debita sommissione, e rendere OBBEDIENZA alla M. S. e riconoscerla per vero Imperatore.

 Che

Che per tutto quello, che il Commune di Firenze in qual si voglia modo fosse obligato, e per qualunque causa dagl' andati tempi fino al presente, non solo à lui, ma a tutti i suoi Antecessori Imperatori, restasse libero, promettendo di pagargli per tutto Agosto prossimo auvenire in quattro paghe i già detti centomila fiorini d' oro.

Che ogn' anno del mese di marzo, di più le gli pagassero, durante sua vita, in recognizione di censo quattro mila fiorini d' oro, senza che S. M. potesse mai pretendere altro per qual si voglia causa, e ragione dal detto Commune di Firenze, suo contado, e distretto.

I. *Diploma Caroli IV. Imp. quo Episcopo Florentino Principis Imperii dignitas concessa, ex VGHELL. Tom. III. Ital. Sacr.*

CArolus quartus . . . venerabili Petro, Episcopo Florentino, suo et *Imperii Sacri Principi*, et *devotò dilecto* gratiam suam et omne bonum.

. . Volentes (te) illis gratiis insignire, quibus valeas aliis te reddere gratiosum tibi et *successoribus tuis*, *quos Nostros et Sacri Romani Imperii Principes* fore declaramus, et de novo *constituimus*, et facimus . . honoribus et dignitatibus omnibus Imperialium Principum communibus gaudere decernimus, ut omnia libere et exercere et uti possitis, quae requirit supra dicta dignitas Principatus . . . De quibus omnibus et singulis te memoratum Episcopum Florentinum nomine Ecclesiae tuae Florentinae . . . auctoritate Nostra Imperiali de novo principaliter *investimus*. - - - - Datum Pragae anno Domini MCCCLXIV.

K. *Diploma Caroli IV. Imp. quo Episcopus Florentinus supremus in Tuscia Judex fuit constitutus, ex VGHELLO, cit. loc.*

FLorentino Episcopo) auctoritate nostra Imperiali committimus et concedimus per praesentes, quod in *tota Tuscia*, causas omnes criminales et civiles, quae inter quoscunque vertentur, nec non causa appellationum quarumlibet, quae ad *nostram Curiam deferendae* essent, recipere, audire, et examinare possit, et fine debito terminare, easque et earum quamlibet, uni et pluribus, sicut . . . placuerit; delegare potestatem.

L. *Bulla Leonis X. Pontificis Max. ex VGHELLO, dict. loc.*

ACcepimus, quod - - Carolus IV. . . Petrum Episcopum Florentinum - ac ipsius . . successores Episcopos Florentinos pro tempore existentes Romani Imperii Principes esse declaravit, et de novo constituit ac fecit . . . . . ac eisdem Petro et ejus successoribus concessit, quod in tota Tuscia omnes criminales et civiles, quae inter quoscunque vertentur, nec non Appellationum quarumlibet, quae ad dicti Caroli Curiam deferendae essent, causas recipere, audire et examinare possent, ac fine debito terminare . . . de quibus omnibus et singulis dictum Petrum Florentinum Episcopum nomine Ecclesiae Florentinae de novo investivit etc. etc. . . Singulas Caroli Imperatoris literas praedictas . . . auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, praesentis scripti patrocinio communimus, etc. . . . Datum Florentiae anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo decimo quinto.

Privi-

M. *Privilegium Ruperti, Romanorum Regis, Florentinis concessum, ex Archivo Imper.*

Rupertus ad perpetuam rei memoriam. Decet regiam Majestatem qualitatem respicere *subditorum*, et illos propensiori gratiae munere prosequi, quos devotionis et fidei constantia et toleratione laborum viderit plus mereri. Considerantes igitur dilectos filios, populum et communionem Florentiae, super omnes Italiae populos erga S. S. Rom. Imperium, ad cujus apicem Deo dante, sicut ordinati sumus, sic intendimus pervenire, semper se *fideliter* habuisse Regibusque Rom. et Imperatoribus legitime constitutis, justeque prosequentibus caeptae *devotionis officium, et obedientiae debitum* praestitisse, nec non et Imperii jura singulariter conservando, suae libertatis thesaurum inaestimabilem, non animi magnitudine solum, sed multo omnium expensarum, onere, profusioneque sanguinis defendisse, non videmus cui justius omnis favor, cuique convenientius omnis gratia debeatur. Quamobrem attendentes omnes illius populi vires et potentiam robur Imperii, et fortitudinem Nostram esse, terras omnes atque civitates, propugnacula, villas, provincias et castra, quae per dictum populum et commune tenentur, reguntur et gubernantur, quaeve possidentur, aut cum eis aliquo subjectionis foedere inclusa sunt, aut quae ex contractu, vel quasi contractu quopiam, testamento, codicillis, donatione tam mortis, vel inter vivos aut aliqua alia ultima voluntate, vel inter vivos titulo, quae omnia tenore praesentium, ex certa scientia *confirmamus et approbamus*, ad dictum populum et Commune quomodolibet pertinerent, aut pervenissent, sive in quibus populus, et Commune praefatum jus, custodiam vel jurisdictionem, aut praeeminentiam habet, et ad praesens dignoscitur obtinere, maximeque civitates, provincias, castra, terras et loca, quae nominatim inferius describentur, eidem populo Communique Florentiae *Regiae Majestatis auctoritate*, animo deliberato, et sano Principum, Procerum et Baronum nostrorum accedente consilio, et consensu, et ex certa scientia libere donamus, concedimus et largimur, cum omnibus eorum juribus, et pertinentiis, curiis, territoriis, et comitatibus, atque districtibus, hac edictali Nostrae benignitatis epistola, perpetuoque Rescripto jubentes, declarantes et decernentes, ea omnia ad eundem populum, et Commune jure plenissimo pertinere, etiamsi feudalia forent, vel aliquo tempore fuisse feudalia dicerentur, aut dici possent; non obstante, quod ad Nos vel Praedecessores Nostros, vel ad Divas Augustas, vel in *fiscum, aut Imperialem*, vel Augustalem mensam, vel cameram essent, vel dici possent quomodolibet devoluta, vel etiam specialiter assignata, ea omnia de plenitudine potestatis, et omni via, ratione vel jure, quo melius et validius possimus, praelibato populo, et communi, jure plenissimo concedentes, volumusque *cuncta Regalia tributa, pedagia, gabellas, obventiones et reditus, flumina, sylvas et nemora, piscationes, pascua et aucupia, quae de jure solent ad fiscum, mensam vel Cameram Regiam, Imperialem, vel Augustam quomodolibet pertinere, nec non omnes condemnationes factas, aut faciendas, et quaecunque devoluta forent, ad Regiam, Augustalem vel Imperatoriam Majestatem, etiamsi dicerentur, vel essent, alicui, vel aliquibus, vel Divis etiam Augustalibus specialiter assignata, nec non auri fodinas, sive cujuscunque metalli mineras, et thesauros omnes, et universaliter omnia jura fiscalia, sive regalia in dicta civitate, et terris supra concessis, vel harum serie nominandis, esse pleno jure, populi, communisque praedicti, et ad ipsum pleno jure legitime pertinere*, cum omni censu, praestatione, vel jure, quae per praedictam civitatem et populum, atque terras, supra concessas, et inferius nominandas *S. Rom. Imperio deberentur, et cum omnibus angariis et perangariis*, quae dicto populo, vel Communi, quocunque jure possunt indici, vel futuris temporibus indicerentur, quae omnia, sicut dictum est, ad populum et Commune *dictae civitatis Nostrae Florentiae* plenissime pertinere volumus, et jubemus, in subsidium, expensarum, quas pro defensione suae libertatis, et status, quotidie facere cogitur et subire. *Confirmamus etiam omnia foedera, submissiones*, deditiones et pacta, quae dictae terrae fecissent eidem, vel cum eodem populo et Communi, quorum tenores, hic haberi volumus pro nominatis et sufficienter expressis, ita quod in populi Florentini favorem perpetuo valeant, et plenam obtineant roboris firmitatem; Et quum, ut Ulpianus scripsit, magni faciant provinciales, [illegible] consuetudines observatas, praesentium auctoritate decerni-

cernimus, et jubemus, dictam civitatem Florentiae ſuumque civitatis territorium, et diſtrictum, et dictas ſupra ſcriptas, et infra ſcriptas civitates, terras, et loca, per officiales, et rectores tam cives quam forenſes, per eundem populum et commune, et non per alios, quacunque fungerentur auctoritate, deputatos et electos, vel quomodolibet deputandos, regi et gubernari debere, ſecundum formam ſtatutorum et ordinamentorum dicti populi, et communis nunc vigentium, vel quae impoſterum ederentur, quae ſtatuta et ordinamenta, et omnes alias quaſcunque leges municipales, dicti populi et communis Florentia, tam editas, quam edendas cum mutationibus, et correctionibus, quas faceret, vel feciſſet dictus populus et Commune, *confirmamus, et approbamus, jubentes eas habere pleniſſimam roboris firmitatem.* Caeterum cum rerum experientia doceat, nobiles viros, *Priores artium et Vexilliferos juſtitiae*, populi et communis Florentiae, qui nunc ſunt, vel impoſterum in officio praeſidebunt, toto tempore, quo talis eorum duraverit magiſtratus, tam in civitate Florentiae, quam in civitatibus, provinciis et locis ſupra conceſſis, ac etiam proxime nominandis, *Regios et Imperiales Vicarios Noſtros, et Imperii S. irrevocabiliter et generales conſtituimus*, facimus et ordinamus, cum adminiſtratione pleniſſima, committentes eisdem pleniſſime vices Noſtras toto tempore vitae Noſtrae, *nec non et in perpetuum, donec forent expreſſae per ſucceſſores* Noſtros, legitime tamen intrantes, nominatim et *ſpecialiter revocati* ſtatuentes et ordinantes, quod dicti Priores, et Vexilliferi, vicarii Noſtri, vel aliqui alii rectores, et officiales ad regimen dictae civitatis, et locorum eidem tenore praeſentium conceſſorum, cogi non poſſint, aut debeant, alibi reddere de ſuae adminiſtrationis officio rationem, quam in civitate Florentiae, et coram Judicibus, Magiſtratu, vel Syndicis per cundem populum, et Commune deputatis ad hoc, vel impoſterum deputandis, et non alibi, vel per alios quoquo modo. In quorum omnium ſignum, firmitatem, et robur nobilem virum Bonacurſum, quondam Neri de Pictis, Syndicum dicti populi et Communis, ut publice conſtat manu Petri Serperi de St. Miniate Florent. notarii publici pro ipſo Communi Florentiae recipiente, et ipſum populum et Commune in perſona dicti Bonacurſi *per annuli traditionem, de praedictis omnibus inveſtimus*, auctoritate Regia ſupra dicta et de plenitudine poteſtatis ex certa ſcientia, et proprio Noſtro motu, et omni via, jure Noſtro, et modo, quibus magis et melius poſſumus et valemus, nomina vero dictarum civitatum, terrarum et provinciarum, et ipſarum deſignationes ſunt haec: videlicet civitas Aretii, cum omni ſuo ſolito et antiquo comitatu atque diſtrictu, civitas Piſtorii et civitas Vulterra etc. cum omnibus eorum ſolitis et antiquis comitatibus atque diſtrictibus, provincia vallis Nebulae, provincia vallis Arianae, provincia vallis Arni, inferiore, terra Barglie et ſummae Coloniae, cum pertinentiis ipſarum, terra S. Miniati Florent. cum omni antiquo ſuo comitatu atque diſtrictu, et ſpecialiter cum communi et caſtro Collis longae terrae, provinciae Florent. in partibus Romandiolae, et omnia, quae in dicta provincia Romandiolae, vel Maſſae Trebariae fuiſſent dicto Communi Florentiae relicta vel conceſſa, ſeu in quibus eis eſſet jus aliquod conſtitutum aut quomodolibet pertineret, omnes terrae quae tenebantur, vel eſſent alieni juris, vel aliquorum de Waldinis . . . . aut aliquo vel aliquibus de progenieque de Petra mala, quae terrae forent in alpibus montibus, aut vallibus ſive planis provinciae Tuſciae, quarum omnia nomina habeantur pro expreſſis, et declaratis: terrae quoque collis Valliſelſe St. Cemniani, Martiani, Planiciei Aretii, Coretii, Caſtellionis Florentini, Montis politiani, Valiani, Sillani, Tapolis, Montamine, Anglaris, Fogani, et Fucignani addicitur Eucignano, Darezzo et omnes terrae et loca, quae fuiſſent dicto populo vel Communi relictae, ſubmiſſae, vel aliquo modo conceſſae, vel alteri pro ipſo populo vel Communi recipienti, et ſeu dicto populo et communi tam in partibus Ciſentini, quam in provincia Romandiolae, Maſſaeque Trebariae, vel alibi in partibus circumſtantibus, vel quae ad ipſum populum et Commune forent jure quopiam devolutae, et generaliter omnia alia et ſingula, quae per dictum populum ſeu Commune tenentur ſeu poſſidentur, reguntur et gubernantur, et in quibus habent jus aliquod, cuſtodiam, jurisdictionem, vel praeeminentiam, quoquo modo mandantes atque jubentes eis et cuilibet ipſorum et ipſarum et hominibus, perſonis et incolis eorundem, et ipſarum praedictis *Noſtris Vicariis populoque et Communi Florentiae tanquam Nobis in omnibus pareant* et intendant ſub poenis et conditionibus ordinandis ſeu ordinatis per ipſum populum et Commune Florentiae. Nulli ergo hominum

liceat

liceat hanc Nostrae donationis, concessionis, largitionis, ordinationis et gratiae paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire sub poena indignationis Nostrae gravissimae, quam qui secus attentare praesumserit, se cognoscat illico incursurum, et sub poena mille marcarum auri purissimi, in quas illos qui quavis temeritate contra fecerint, sive venerint, irremissibiliter incurrere decernimus et jubemus, et eandem ab eis totiens, quotiens contrafactum vel contraventum extiterit, exigi volumus et committi, et medietatem dictarum marcarum Nostri Regalis, seu Imperialis aerarii sive fisci, et partem residuam injuriam passorum usibus applicari decernentes ex nunc de plenitudine Regiae atque Caesareae potestatis irritum et inane, quodcunque in contrarium a quacunque fuerit attentatum, Praesentes quoque *litteras Nostras sive praesens privilegium durare volumus toto tempore vitae Nostrae, et ad beneplacitum Imperii, et donec per successores Nostros legitime intrantes expresse et specialiter fuerit revocatum.* Decernimus quoque, committimus et mandamus, quod mox, ut fuerimus Imperiales infulas assecuti, Imperiales Nostrae fieri debeant confirmatoriae praedictorum. Et ex nunc intelligantur data et concessa praedicta, vel in minimo non mutata, etiam absque alia aliqua requisitione, vel . . . Nobis vel Nostro Cancellario facienda. Testes hujus rei sunt venerabilis Fridericus Archiepiscopus Coloniensis, Imperii per Italiam Archi-Cancellarius. Illustres Ludovicus Comes Palatinus Rheni et Bavariae Dux. Carolus Dux Lotringiae. Nobiles Pbilippus Nassau et Surapònte. Emilius de Leiningen, Regalis Nostrae Curiae Magister. Gerhardus de Kirberg. Fridericus de Mörle. Jo. Frid. de Leiningen, Comites spectabiles. Sigehardus de Winsperg. Eberbardus Pincerna de Erpaden Senior, Barones. Honorabiles Conradus de Hirtzhorn, St. Stephan. Moguntinensis, Wilbelmus beatorum apostolorum Coloniensium Ecclesiarum praepositi, Magister Nicolaus Perwin, sac. paginae professor. Strenui Wipertus de Helmstat Senior, Johann. de Hirtzhorn, Johannes Camerarius de Talburg, Schilling de Fillig. Henricus de Dadenberg. Sifridus de Lapide, milites, nec non quam plures alii Nostri et Imperii nobiles et fideles. Harum sub Regiae Nostrae Majestatis sigilli appensione testimonio literarum, datum Moguntiae die quarta mensis Julii Anno Domini MCCCC. primo, Regni vero Nostri anno primo. Ego Rabanus Episcopus Spirensis, Regalis aulae Cancellarius, vice Reverendissimi in Christo Patris Domini Joannis Archiepiscopi Moguntini per Germaniam Archicancellarii recognovi.

N. *Tabulae Conventionis, Rupertum, Regem Romanorum, inter ac Florentinos initae, ex MARTENII Tom. I. Thes. Anecdot.*

PUncta tractatus inter Serenissimum Principem, *Dominum nostrum Regem Rupertum,* et ambassiatores Florentinos.

Inprimis Serenissimus Princeps *Dominus noster Rex*, pro expeditione celeriori Principum, Procerum, Baronum, et militum secum ducendorum in Italiam, vult dono à *Florentinis servitoribus suis fidelissimis* ducenta millia ducatorum, cum quibus possit intrare Italiam, in exterminium Comitis Virtutum, et pro honore Imperii et *favore suae fidelissimae Civitatis Florentinae;* de quibus quidem ducentis millibus ducatorum, vult in *Abinania*, s. Allemania) valorem centum decem millium ducatorum, quos ipse Dominus Rex repetiat à mercatoribus Alamannis, vel ab aliis: quibus mercatoribus, dicti *Florentini servitores sui* teneantur facere promissionem, de solvendo in civitate Venetiarum, dicta centum decem millia ducatorum, sub conditione, ut infra dicetur.

Item quod dicti Florentini reliquam summam dictorum ducentorum millium ducatorum dare debeant dicto Domino Regi, videlicet ducatos nonaginta millia in dicta civitate Venetiarum, vel alibi, ubi commodius et babilius fuerit Domino Regi et Florentinis, pro satisfactione stipendiariorum, ad duos menses proxime futuros, incipiendos à die primae solutionis vel promissionis faciendae dictis mercatoribus, videlicet cum dictus Dominus noster Rex fuerit in Italia cum felici exercitu suo, ad invadendum territorium Comitis Virtutum hostiliter et potenter, exclusis dolo et fraude.

Item, quod dicti Florentini, in casu necessitatis, pro tribus mensibus teneantur mutuare dicto Domino Regi, usque in summam ducentorum millium ducatorum, mutuandorum de mense in mensem, prout pro rata contingit, de quibus quidem ducentis millibus ducatorum dictus Dominus Rex teneatur et debeat facere et praestare idoneam cautionem de restituendo ad terminum, de quo concordes fuerint, dictis Florentinis.

Item, quod dictus Dominus Rex concedat in forma petita, et de quo Majestati suae . . . coperiam, privilegium dictis Florentinis, videlicet toto tempore vitae suae duntaxat, ita tamen, quod dictus Dominus noster habeat censum annuum .... juxta quantitatem et qualitatem, prout Florentini secum concordabunt.

Item, quod promissio facienda, ut supra dicitur, per Florentinos, fiat sub ista conditione, si et quantum dictus Dominus noster Rex transeat in Italiam, anno praesenti, et habeat terminum ad transeundum in Italiam à die, qua pecuniam receperit, seu promissio facta fuerit mercatoribus, ad unum mensem cum dimidio, tunc proxime futurum, salvo, quod si mors, quam Deus avertat, invaserit eum, ut esset in itinere praeparatus cum dicto exercitu, quod tunc in eo casu promissio libera sit et firma, videlicet quod Florentini amittant pecuniam, et Dominus Rex, quod similiter Deus avertat, personam.

Item quod Dominus noster Rex teneatur et debeat, pro posse delere statum, et dominium dicti Comitis Virtutum, et eum totis viribus suis persequi, et ipsam civitatem Florentinam, Commune, et populum Florentinum manu tenere in libertate sua, statu et donatione (*l. dominatione*) conservare.

O. *Decretum Caroli V. Imper. d. 28. Octobr. ann. 1530. in Comitiis Augustanis latum, ex Archivo Imper.*

CArolus Quintus Augustus, Divina favente clementia Rom. Imperator, ac Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hyerusalem, Insularum Balearium, fortunatarumque, et magni Orbis Indiarum, etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae et Galliae Belgicae Dominus, etc. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus, et notum facimus tenore praesentium universis; Postquam summa Dei Opt. Max. benignitate et clementia, Romani Imperii cura Nobis commissa est, summum semper Nostrum studium fuit, ne quid damni, aut incommodi, Nobis imperantibus, respublica pateretur. Hinc relicta Hispania, ea potissimum ratione in Italiam venimus, ut ab his, quibus assidue vexabatur, malis, eam liberaremus, pacemque illi atque otium, pro bellis et seditionibus concederemus, Nostroque animo, ac voluntate illa perspectis, cum depositis armis, ad Nostram, et Romani Imperii devotionem, atque amicitiam facile advenerint, una tantum Florentia excepta, quae nonnullorum perditorum hominum consiliis, atque artibus, praeterquam quod Nobis absentibus arma in Nos, et Romanum Imperium ceperat, Regnum nostrum Neapolitanum, et Sanctae Romanae Ecclesiae, cujus Nos Advocati sumus, ditionem, armis, infestaverat, Nobis quoque praesentibus, animo nostro non satis perspecto, legionibus nostris [illegible]as hostiliter occludere, urbem munire, seque intra moenia continere, atque *Nostram et Romani Imperii auctoritatem contemnere praesumsit*, ac Nos, qui non ad perdendam, sed ad servandam eam urbem veneramus, quique à pristino nostro de pacanda Italia instituto, non recesseramus, tantum militibus nostris imperavimus, ut tamdiu eam obsidione premerent, quousque facti poeniteret, ad *Nostramque, et Romani Imperii devotionem veniret:* Cumque post longam obsidionem sese Nobis ea lege dederit, *ut Nos ejus regimen, gubernium, et statum, arbitrio Nostro disponeremus:* Nos eam civitatem in deditionem acceptam, tametsi ex causis super narratis, et quam multis aliis legitimis rationibus *omnibus privilegiis, quae à majoribus Nostris Romanis Imperatoribus ac Regibus et Sacro Romano Imperio majores sui obtinuerunt, de universisque ejus dominio, atque statu, tanquam ad Nos et Romanum Imperium devoluto*, arbitrio Nostro disponere jure Nobis licuisset. Cupientes tamen, ut ipsa quoque civitas clementiam nostram experiatur, favore etiam atque intuitu beatiss. Patris Nostri Clementis VII. Pontificis Maximi, qui tanquam ejusdem reipublicae salutis,

falutis, quietis, et libertatis ftudiofiffimus, pro ea intercedere dignatus eft, motu proprio, ex certa Noftra fcientia, firmo et deliberato animo, non per errorem, aut improvide, fed fano Principum, Baronum, Comitum, Procerum, atque aliorum Noftrorum et Romani Imperii fidelium dilectorum ad hoc accedente confilio, et de noftra Imperialis poteftatis plenitudine, eidem reipublicae Florentiae, quicquid in his omnibus fupra dictis, et alias quomodocunque contra Nos, et Romanum Imperium commifit, tenore praefentium *remittimus, eamque in Noftram et Romani Imperii gratiam recipimus*, reponimus, reftituimus, et redintegramus, ac fi ea nunquam per ipfam commiffa forent. Decernentes ac volentes, ut dicta civitas Florentina, ejusque cives, incolae, et fubditi, hujus gratiae, et indulti Noftri vigore, ejusque beneficio, omnibus privilegiis, gratiis, exemptionibus, et libertatibus per totum Romanorum Imperium, et ubique locorum, et terrarum, utantur, fruantur, et gaudeant, quibus, antequam à devotione Noftra recederent, utebantur, fruebantur, et gaudebant, absque ullo impedimento vel contradictione. Praeterea cum Summi Pontificis tantum valeat apud nos authoritas, ut nihil illi negare velimus, ejus favore atque intuitu, utque Florentini fuae fanctitatis et Noftram benignitatem, et gratiam magis ac magis agnofcant et amplectantur, eisdem motu, fcientia, animo, authoritate et poteftate praedictis, *omnia et fingula privilegia, jura, conceffiones, exceptiones, libertates, gratias et indulta Reipublicae Florentinae* à majoribus Noftris Romanis Imperatoribus et Regibus conceffa, et conceffas, quibus, antequam à Noftra et Romani Imperii fide ac devotione recederent, utebantur, in omnibus fuis articulis, punctis et claufulis, ac fi his Noftris de verbo ad verbum effent inferta, *confirmavimus, ratificavimus, approbavimus* ac tenore praefentium confirmamus, ratificamus, approbamus hisque univerfis robur et authoritatem Noftram impertimur, ipfamque rempublicam Florentinam cum Regimine à Nobis inferius difponendo, in Noftram et Romani Imperii gratiam, tuitionem, protectionem, et falvam guardiam fufcipimus et affumimus, fufceptamque et affumptam effe dicimus, decernimus et declaramus. Cum autem ad perpetuam hujus reipublicae Florentinae *libertatem, pacem, quietem et tranquillitatem, utque in noftra et Romani Imperii devotione perpetuo maneat*, fuperfit, tum ratione Imperialis Noftrae dignitatis et authoritatis, ad quam fpectat rerum publicarum falutem et pacem curare, tum vigore conventionis inter Ill. Ferdinandum Gonzagam pro Nobis intervenientem, et ipfam rempublicam Florentinam, cum deditionem faceret, firmatae ejusdem reipublicae *regimen, gubernium, et ftatum difponamus et inftituamus*, et pro folito inftituto Noftro nihil aliud quam ejus et univerfae Italiae falutem, pacem, quietem, et libertatem quaeramus, animadvertentes rempublicam ipfam veluti et alias complures, ejus effe naturae atque ingenii, ut fub hujusmodi regimine et magiftratu, in quo effet unus, cui ejus praecipua cura incumbat, longe melius ac felicius regatur et gubernetur, quam ubi res ad populares magiftratus defertur, quodque quamdiu Ill. Mediceorum familia, quae diu fuo merito in ea republica floruit tanquam caput regiminis fupremum illius curam habuit, tum vere et publicis et privatis opibus floruiffe, multumque et rei et dignitatis illi acceffiffe, contra vero ubi aemulorum malitia atque invidia ab ea auctoritate illa dejecta extitit, resque ad popularem factionem delata eft, tunc omnia, quod noviffima haec calamitas et illius dominii devaftatio facile teftantur, publica atque privata corruiffe, et ad eam ufque miferiam redacta effe, ut nifi beatiffimus Pontifex ac Noftra Clementia illi fuccurriffet, de ejus dominio ac libertate actum effet.

Cupientes ejusdem reipublicae Saluti, libertati, quieti et tranquillitati optime confultum effe, atque univerfali Italiae pacem ftabilire, *Noftramque et Romani Imperii dignitatem, et authoritatem, ut tenemus, confervare*, ne res iterum ad popularem factionem devenire, et propterea dominium atque libertas dictae reipublicae periclitari et opprimi valeat, eisdem motu, fcientia, animo, confilio, et auctoritate praedictis, tenore praefentium, *ftatuimus, decernimus, et declaramus, volumus et jubemus*, ut deinceps perpetuis futuris temporibus magiftratus dictae reipubl. eisdem modis et formis *eligantur, difponantur, et inftituantur*, quibus ante ejectam ipfam Mediceorum Illuft. familiam eligebantur atque inftituebantur, utque eadem Ill. ipfa Mediceorum familia, et inprimis, Ill. Alexander de Medicis Dux civitatis Pennae, cui nuper Ill. Margaritham filiam Noftram naturalem defpondimus, *quamdiu vixerit*,

 atque

atque eo e vivis sublato, ejus filii, haeredes, et successores ex suo corpore descendentes masculi, ordine primogeniturae semper servato, et illis deficientibus, qui proximior masculus ex ipsa Mediceorum familia erit, et sic successive usque in infinitum, jure primogeniturae servato, sit atque esse debeat dictae reipubl. Florentinae gubernii status, *atque regiminis caput*, et sub ejus praecipua cura, et protectione ipsa civitas, et respublica, cum universo ejus statu, et dominio regatur, manuteneatur, et conservetur, et tam ipse Ill. Alexander quam sui praedicti possint, et valeant, ac debeant in omnibus supradictis magistratibus, qui in praesentia sunt, et pro tempore modo, quo supra, aut aliis quomodocunque disponentur, interesse, hisque praeesse, ac si is qui pro tempore juxta ordinem ut supra dipositum, praesse debebit, ad singulos ipsos magistratus publicis suffragiis tanquam caput electus et designatus foret. Decernentes, ac volentes, et *hoc Nostro Imperiali Edicto*, perpetuo valituro statuentes, ut si quando dicta resp. Florentina hoc regimen, modo quo supra a nobis institutum, violare, aut invertere, aut ei quovis temerario ausu contraire audebit, *tanquam Nobis, ac Rom. Imperio ingrata, rebellis, et inobediens*, suaeque saluti, libertati, quieti, paci et tranquillitati contraria, supra scriptis Nostris, remissione, indulto, confirmatione, approbatione, ratificatione, et gratiis, aliisque omnibus, et singulis privilegiis, concessionibus, exemptionibus, libertatibus, et gratiis, eidem à praedecessoribus Nostris Rom. Imperatoribus, et Regibus, et Sacro Rom. Imperio, quomodolibet, et exquacunque causa concessis, *privata, atque universum ejus dominium ad Nos, et ipsum Rom. Imperium devolutum censeatur*, quemadmodum eam Nos ex nunc, prout et tunc, et e contra, privamus, eaque omnia et singula supra scripta revocamus, cassamus, annullamus, et cassa, nulla atque irrita, et universum dictae Reip. dominium ad Nos, et Rom. Imp. ipso facto devolutum esse volumus, decernimus, declaramus, et pronuntiamus, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus, etsi talia forent, de quibus specialis, expressa, ae de verbo ad verbum in his mentio fieri oporteret, quibus omnibus et singulis, eisdem motu, scientia, animo, authoritate et potestate praedictis derogamus, et derogatum esse volumus per praesentes, supplentes omnes defectus, tam juris quam facti, et solennitatum omissiones, si qui aut quae forsan in his intervenissent, aut allegari quovis modo possent, quae omnia et singula, ut in favorem dictae Mediceorum illust. familiae interpretentur, volumus et jubemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Nostrae remissionis, indulti, confirmationis, approbationis, ratificationis, statuti, decreti, voluntatis, declarationis, et institutionis paginam infringere, aut ei quovis temerario ausu, directe, aut indirecte contraire; si quis autem id attentare praesumserit, Nostram et Imperii sacri indignationem gravissimam, et poenam centum marcharum auri puri, se noverit irremisibiliter, quoties contra fecerit incursurum, quarum medietatem fisco Nostro Imperiali, reliquam vero partem, injuriam passi, aut passorum usibus decernimus applicandam, harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, et Sigilli Nostri Caes. appensione munitarum. Datum in civitate Nostra Imperiali Augusta die XXVIII. mensis Octobris anno Domini MDXXX. Imperii Nostri XI. Regnorumque Nostrorum omnium XV. Ad Mandatum S. Caesareae et Cathol. Majestatis.

Sequitur jam actus exsecutionis Decreti Caesarei, publico Instrumento descriptus.

In nomine Individuae Trinitatis.

PEr hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quemadmodum convocatis, ac personaliter constitutis in sala magna inferiori palatii magnificorum dominorum Florentinorum excellent. Dominis, Dn. prioribus libertatis, et vexillifero justitiae, populi Florentini, una cum venerabilibus collegis, caeterisque magistratibus civitatis. Quorum nomina sunt etc.

Hinc est quod in praesentia magnificorum Dn. magistratuum praedictorum, nec non plurimorum aliorum civium Florentinorum, in praedicta sala magna existentium, ubi ad infra scripta audienda, et peragenda, januis apertis, et in maxima multitudine, veluti in actu publico convenerant, personaliter existentes, et in medium assurgens magnificus Vir, et U. J. D. praeclarissimus Dn. Jo. Antonius Mu-

fecola

fcola, de Neapoli, Orator, nuncius, et Commiſſarius à ſacratiſſimo Domino, Dn. Carolo V. Rom. Imp. ſemper Auguſto ad infra ſcripta, et alia peragenda, ut dictum, ſpecialiter deputatus, et legitima facultate ſuffultus, cum ea qua decuit circumſpectione, non minus ornate, quam copioſe, in latino ſermone, ut melius ab omnibus intelligi poſſit, ita elocutus dixit. Cum idem Seren. Dn. Imperator, ut rebus Italiae, diuturno bello non mediocriter afflictis occurreret, et pacem inter diſſidentes componeret, ad effectum ut rebus pacatis, arma Chriſtianorum in Turchas, Chriſtiani nominis hoſtes, felicius converti poſſent, ex Hiſpania in Italiam applicuiſſet, et cum Venetis, et aliis civitatibus et dominiis ab eo diſſidentibus capitula pacis, et concordiae, modum in pace vivendi concernentia iniiſſet.

Cum Illuſtri Florentinorum dominio, quod ſemper ipſe, et ſui praedeceſſores, Romani Imperatores, peculiari quodam amore proſecuti fuerunt, qui tum ab eo diſcordabat, et contra eum arma ſumpſerat, et ab obedientia, et reverentia ſedis Apoſtolicae diſceſſerat, et ſanctiſſimum Dominum noſtrum, cum quo dudum foedus percuſſerat, et ejus illuſtriſſimam familiam, de hac excelſa republica amantiſſimam, ſine cauſa expulerat, ſeu recedere coëgerat, in eum ſtatum, à quo expulſus, una cum ejus familia illuſtriſſima erat, admittere et reſtituere negabat, per diverſa media, honeſtatis et concordiae conditiones proponeret; ſed particularium civium pertinacia, qui tunc rempubl. potius arbitrio, quam ratione regebant, et ad privatum commodum magis, quam ad publicam utilitatem, non ſano conſilio ducti, reſpiciebant, id aſſequi non poſſet; ut improborum malitiam expugnaret, et injuſte oppreſſis ſubveniret, coactus fuit, licet contra ejus mentem, exercitum comparare, ac veſtrum territorium armis invadere, et obſidione civitatem veſtram cingere, armis infeſtare, ac fame premere, quo reſpicientes, et ſua errata cognoſcentes, more pii patris, qui filios errantes ſaepe corripit, et reductos paterna charitate avidius complectitur, benignius exciperet. Licuit eidem Sereniſſimo Imperatori, ſi voluiſſet, civium veſtrorum pertinacia exigente, veſtram civitatem longa obſidione oppreſſam, fame ſupra modum laborantem, omnium humanarum ferme rerum auxilio deſtitutam, facile ſuperare, diripere, et expugnare; ſed ſuae Imperialis Celſitudinis bonitate, ac ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri interceſſionibus delinitus, potius divino auxilio, quam humano conſilio, ſui exercitus milites repreſſit, atque continuit, voſque tandem ad cor reverſi, vos erraſſe fatentes, ſaniori conſilio ducti, ad capitula pacis, et concordiae, cum Sua Caeſ. Majeſtate ac Sereniſſimo Domino noſtro deveniſtis, illaque obſervare, et adimplere promiſiſtis, et ad ea vos, et civitatem veſtram obligaſtis. Et quia et indictis capitulis inter alia cautum fuit, quod idem Sereniſſimus Dn. Imperator, intra certum tempus, *modum et formam, quibus civitas ipſa in poſterum regi, et gubernari deberet, declararet et ordinaret*, ideo his, et aliis rationibus, idem Sereniſſimus Dn. Imperator ad civitatis veſtrae, ſuae curae commiſſae pacificum ac tranquillum ſtatum attendens, ſanctiſſimi Domini noſtri contemplatione, et induitu, qui ſuam hanc patriam paterna charitate proſequitur, et illius ſtatus, ac honoris et gloriae incrementa ſummis deſiderat affectibus, pro indulgentia, et remiſſione à Caeſarea Majeſtate, eidem Reipubl. Florentinae facienda, et ſaepius praeſtita, per Imperiale edictum, ſive decretum, ſigillo ejus aureo, ut videtis, munitum, de ſuae Imperialis Celſitudinis ſuprema auctoritate et poteſtate declaravit, ſtatuit, et ordinavit; illuſtriſſimam familiam de Medicis, et conſequenter Illuſtriſſimum Dn. Alexandrum Medicem Ducem civitatis Pennae, ex qua familia Dux ipſe deſcendit, ipſius Sereniſſimi Dn. Imperatoris generum dilectiſſimum, ad gradum, ſtatum, honores, privilegia, immunitates et jurisdictiones, in privilegio contentas, etiam uti ante eorum ultimum diſceſſum erant, recipiendos, et acceptandos, ac reſtitui, redintegrari, et plenarie reponi ac admitti debere, juxta tenorem ipſius privilegii et indulti.

Itemque idem Illuſtriſſimus Dn. Alexander Dux, ſit, et eſſe debeat primus, caput et praepoſitus in regimine dictae civitatis, et in quolibet officio, et magiſtratu ejuſdem, ad illa regenda, et gubernanda, et alias, prout, et ſicut alias per legem municipalem dictae civitatis ſancitum et ordinatum fuit.

Item, quum idem Sereniſſimus Dn. Imperator *omnia et ſingula privilegia, indulta, gratias, et conceſ[illegible], per ſuos praedeceſſores, divos Imperatores, Florentinae civitati, et ejus illuſtri [illegible] conceſſa et facta, ac conceſſas et factas, ex ſua mera liberalitate*

confir-

confirmavit, *atque de novo concessit*, *mandavit jussit et voluit*, praemissa, sic per eum declarata, et ordinata, inconcussa servari, et adimpleri, atque nulli liceat illa Infringere, vel eis ausu temerario contravenire, sub eorundem privilegiorum revocatione, et aliis poenis tunc expressis, ipso facto incurrendis, prout latius hoc, et alia in publico documento dicti edicti, sive decreti, quod idem magnificus dominus Orator in suis manibus tenebat, et eisdem magnificis dominis Prioribus, et Vexillifero justitiae, caeterisque magistratibus ibidem congregatis ostendit, ac in manibus egregii viri domini Francisci Campani, primi Cancellariae, dictae Comitis, tradidit, ac publice legi, ac intimari, illius formam fieri, et debitae exequutioni mandari petiit, latius contineri dixit.

Vide Diploma Caesareum praeced.

Quibus sic peractis, et dicto instrumento Imperialis edicti, sive decreti, per dominum Dn. Cancellarium publice lecto, et omnibus In eo contentis diligenter discussis, et consideratis, praesentes domini excellentissimi Priores, et Vexillifer justitiae, communicato inter se consilio, matura deliberatione praecedente, de eorum voluntate Dn. Benedictus Buondelmontes Vexillifer justitiae, nec non ipsius reipubl. Florentinae nomine, in haec, vel similia verba respondit: Primum Omnipotenti Deo gratias egit, asserens civitatem, et populum Florentinum, qui semper Caesareae Majestati magnopere tribuit, ejusque nomen syncera *fide*, *devotione*, affectu, et religionis veneratione, semper coluit et colere intendit, observatam rempublicam, civitatem ejus cives è faucibus militum liberatos, pupillos, et viduas defensas, libertatem denique restitutam: et demum, ob regiminis gubernii caput ejusdem, Illustrissimum Dominum Alexandrum Medicem, qui possit eorum infirmitatibus mederi datum, quicquid ingenio, labore, opibus, industria, et potentia praestare possit, eidem Caesareae Majestati perpetuum debere: dictumque decretum, ordinationem, et declarationem, et Caes. edictum, gratanter, nomine totius civitatis recipiendo, eundem Illust. Dn. Alexandrum ibidem praesentem, ac illust. Mediceorum familiam in particulari, ac universali, ad gradum, statum, honores, et privilegia, immunitates et jurisdictiones, in privilegio contentas, et in quibus ante eorum ultimum discessum erant, accepit, restituit, reintegravit, et plenarie reposuit: ipsumque Illust. Dn. Alexandrum Ducem, et ejusdem Serenissimi Dni. Imperatoris generum in primarium dictae civitatis, ejusdemque regiminis, et gubernii, ac omnium ac singulorum officiorum, et magistratuum dictae civitatis caput, praepositum, et directorem acceptavit, et illum nomine totius civitatis, et populi Florentini pro tali, et ut talem perpetuo tenere, habere, colere, et observare velle asseruit, et ita ab omnibus teneri et reputari mandavit, juxta continentiam, et tenorem dicti privilegii: promittens praefato Illust. Dn. Alexandro praesenti, pro se ipso, ac ejus haeredibus, et successoribus, et eidem Magnifico Dn. Johanni Antonio Oratori praesenti, et pro dicta Caes. Majestate recipienti, prodicta omnia et singula, ac omnia in privilegio prodicto contenta, perpetuo attendere, et observare, et contra non facere, dicere, vel venire, per se vel per alias submissas personas, sub quovis quaesito colore, et sub poenis, et aliis censuris in dicto prae inserto privilegio contentis, et sub omni juris et facti renuntiatione, ad hoc necessaria pariter cautela: Et dicti Dn. Vexilliferi sermone completo, magn. XVI. Gonfalonerii societatum populi Florentini, ... eorum respective locis assurgentes, et coram praefatis dominis, magnifico Domino Oratore Caesareo et Illustrissimo Duce Alexandro personaliter existentibus, in unam, et eandem animi sententiam convenientes praedicta omnia, et singula per dictum magnificum Dn. Benedictum de Buondelmontibus, Vexilliferi, praefate dicta, exposita, narrata et promissa, nomine dictorum respective laudaverunt, et approbaverunt, ac rata, et grata perpetuo habere, et tenere voluerunt, et velle dixerunt, et praedictum Imperatorium edictum, ut praemittitur, publicatum, et praeinsertum, et omnia contenta in illo, nemine dissentiente approbaverunt, et illud gratum, et ratum, et firmum, se perpetuo habituros, nomine dictorum respective magistratuum, et dictae reipubl. Florentinae promiserunt et convenerunt: ac praedictum Illustrissimum Ducem Alexandrum Medicem, ibidem praesentem, et omnia super et infra scripta pro se, et posteris suis *juxta formam, et dispositionem, producti Imperialis edicti recipientem, ut perpetuum caput primarium regiminis, et gubernii civitatis*, et illius pacifici et quieti status, et praepositum omnium et singulorum magistratuum ejusdem, in omnibus, et per omnia

omnia juxta tenorem praeinserti privilegii receperunt, admiserunt et acceptaverunt, promittentes, et solemni stipulatione convenientes, tam praedicto magnifico Dn. Oratori Caesareo, quam domino Illustrissimo Dn. Alexandro de Medicis, et nobis notariis infra scriptis, ut profertur, et pro omnibus quorum interesse poterit, quomodolibet stipulantibus et acceptantibus, *se perpetuo observaturos praedictum Imperatorium edictum, et non venire contra illud quovis modo, sub poenis, et aliis in praedicto Imp. edicto contentis*, et non obstantibus his, quae praedictus Serenissimus Imperator in praedicto suo Caes. edicto voluit non obstare, de et super quibus omnibus, et singulis, tam praedictus Illustriss. Dn. Alexander Medices, nec non praedictus Vexillifer, mandaverunt, et petierunt praesens fieri documentum, et instrumentum unum, seu plura.

Acta et celebrata fuerunt omnia, et singula scripta, in praedicto palatio, praedictorum Magnificorum Dn. Florentinorum, et in sala magna inferiori dicti palatii, anno incarnationis Dominicae 1531. Indictione V. et die 6. mensis Aprilis P. Serenissimi in Christo Patris et Domini nostri, Clementis divina providentia P. P. VII. anno VIII, et praesente et assistente magna parte populi, nec non venerabilibus Viris, domino Albizo . . . . de Nobilibus, Clerico Floren.

Ego Johannes Juliani de Durazinis, Imperiali, Apostolicaque autoritate notarius, et scriba praedictorum excellentissimorum Dominorum libertatis civitatis Florentinae, praemissis omnibus, et singulis, quae in praesenti, et in novem aliis semper procedentibus cartis in hoc libello, simul lectis, et meo signo interlineatis descripta sunt, dum sic agebantur interfui, et agitari, ut scripsi, vidi et auscultavi, in superscripto loco, et demum demandato Magnifici Dn. Vexilliferi justitiae, et excellentissimorum Dominorum, requisitus una cum infra scriptis aliis cancellariis palatii, in praemissorum fidem, et robur, et testimonium, me subscripsi, et signum meum consuetum apposui.

P. *Diploma Caroli V. Imp. quo Cosmus I. Florentiae Dux, confirmatur ex Archivo Imper.*

CArolus Quintus Divina favente Gratia Romanorum Imperator Augustus, ac Germaniae, Hispaniae, utriusque Siciliae, Hierusalem, Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Insularum Balearium, Sardiniae, Fortunatarum, ac Indiarum, et terrae firmae, Maris Oceani etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Lothringiae, Brabantiae, Limburgii, Lucemburgiae, Geldriae, Virtembergiae etc. Comes Hapsburgi, Flandriae, Tirolis, Artesiae, et Burgundiae, Palatinus Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae, Ferreti, Kiburgi, et Zutphaniae, Landgravius Alsatiae, Marchio Bergoniae, et Sacri Romani Imperii, Princeps Sueviae, Dominus Phrisiae, Molinae, Salinarum, Tripolis, et Mechliniae etc. ad perpetuam rei memoriam recognoscimus, et notum facimus tenore praesentium universis etc. Ad alias rationes Imperialis Dignitatis et muneris Nostri, quo Dei Opt. Max. voluntate fungimur, hoc vel inprimis pertinere arbitramur, ut fidelium rebus ad otium et tranquillitatem redigendis, et confirmandis assidua cura et perenni studio incumbamus, eorum praecipue, qui pro summa sua erga nos, *devotione* et observantia à Nobis omnia expectare, suaeque dignitatis, nedum asserendae, verum etiam augendae, et stabiliendae, in Nobis spem omnem ponere et posse, et velle, dignoscuntur; Qua de re, cum excelsae Reipublicae Florentinae status aliquandiu, et praesertim post fata illustris quondam Alexandri de Medicis, Ducis Pennae, affinis nostri, *non nihil fluctuari*, atque periculo expositus, et ob id praesenti ope juvandus, videretur, Nos qui nihil antiquius aut carius unquam habuimus, quam ejus status, cujus patrocinium jam olim susceperamus, ad augmentum et existimationem promovere, et rerum ipsius firmitati consulere, etsi aliis maximis Christianae Reipublicae negotiis eramus impediti, nolumus tamen deesse, quin ad depellendum motus et pericula ipsi Statui et Reipublicae Florentinae impendentia, et ad providendum ea, quae optime illius administrationi congruere viderentur, omnem curam, operam et diligentiam Nostram converteremus. Itaque inter caeteros Nostros in Italia et pacis et belli Ministros, Illustri Johanni Ferdinando Manrique Marchioni ab Aquilar consanguineo Nostro, et Magnifico fideli Nobis dilecto Ferdi-

Ferdinando à Silva, Comiti à Cifuentes, Consiliariis et apud Beatitudinem Pont. Max. Oratoribus Nostris, dedimus in mandatis, ut uterque, aut alter ipsorum Nostro nomine hanc provinciam susciperet, atque ea omnia ageret, tractaret, faceret et exequeretur, quae huic rei convenire, expedireque viderentur, quemadmodum ex ipsius mandati et facultatis Nostrae serie, inferius inferenda, quam hoc loco pro recitata haberi volumus, perspicere est. Cumque alter ipsorum Mandatariorum, videlicet praefatus Comes à Cifuentes, inhaerendo eisdem mandatis et decreto per Nos alias pro Illustri quondam Duce Alexandro, et familia Medicea facto, virtute facultatis et auctoritatis sibi à Nobis traditae, communis tranquillitatis et quietis praefatae Reipublicae Florentinae causa declaraverit, *Magnificum Nostrum et Imperii Sacri fidelem dilectum Cosmum de Medicis*, ut proximiorem ex ipsa familia Medicea, majoremque natu, et tam *vigore memorati edicti seu Privilegii Nostri et in ejus executione*, quam ex decreto publico, vocatum ad ipsum *Primatum et caput gubernii et status reipublicae Florentinae*, adsciscendum fuisse, eundemque primatum ipsi Cosmo deberi hac lege, ut *excluso Laurentio nuncupato à Medicis, qui ob parricidium in personam praefati quondam Illustris Alexandri Ducis, affinis sui, perpetratum laesae Majestatis reus factus, condemnatus, atque ipso jure expers omnis gratiae declaratus fuerat, et ejusdem Laurentii posteris uti inhabilibus et legitime privatis*, ipse Cosmus de Medicis durante sua vita sit, et esse debeat praedictae *Reipubl. Florentinae Gubernii Status, Dominii et Regiminis Caput et Primarius*, ac sub ejus praecipua cura et protectione ipsa Civitas et Respublica cum universo ejus statu et Dominio regatur, manuteneatur, et conservetur, quamdiu ipse Cosmus superstes fuerit, eo autem vita functo, ipsius *filii haeredes et successores ex ejus corpore legitime descendentes masculi*, ita ut tam ipse Cosmus quam ejus successores jam dicti possint et valeant ac debeant omnibus Magistratibus interesse ac praeesse ut primarii et Caput omnium praedictorum Magistratuum, possitque *ex gratia Nostra* uti et frui ea omni auctoritate, qua praefatus quondam Dux Alexander tempore sui obitus uti poterat, et utebatur, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, et quemadmodum haec omnia in ipsa declaratione supradicti Comitis Mandatarii Nostri, in qua praedictum mandatum et edictum Nostrum inserta sunt, diffusius continentur, quorumque omnium tenor sequitur in haec verba: Nos Ferdinandus de Silva, Comes de Cifuentes, magnus Vexillifer Castellae, Consiliarius Caesareus, et in hac causa per Sacram Caesaream, Catholicam et Regiam Majestatem specialiter delegatus, prout constat Caesareo privilegio, cujus tenor talis est: Carolus Quintus et quae sequuntur: Nos cupientes virtute facultatis et auctoritatis Nobis à Caesarea Majestate concessae, quieti et tranquillitati hujus Excelsae Civitatis et Dominii Florentini prospicere, ac consulere, quae ob infra scriptum obitum Ducis Alexandri quasi fluctuari videtur: Declaramus mentem Caesareae Majestis fuisse, et esse, hanc Excelsam Rempublicam et protegere et fovere et quotidianis beneficiis et gratiis semper afficere, et ab imminentibus procellis et periculis illaesam servare, Illustremque Mediceorum familiam, prout semper fecit, paterna caritate amplecti, et sub sua protectione fovere et conservare. *Cumque ex privilegio* concesso Illustri Duci Alexandro et Mediceorum familiae clare constet, quod post obitum Ducis Alexandri absque filiis decedentis, proximior ex familia de Medicis ad Primatum et caput gubernii magistratuum omnium Civitatis Florentinae vocetur, ad quod iniquitatis filius, Laurentius de Medicis, parricida, si hujusmodi *crimen Laesae Majestatis* non commisisset, aspirare potuisset, et ob dictum crimen, et parricidium Jure Laesae majestatis reus, judicatus, et condemnatus, ac ipso Jure privatus ab omni gratia, declaratus existit, ob quam causam Primatus praedictus ad Illustrem Cosmum de Medicis ut proximiorem ex familia de Medicis, et majorem natu devolutus est, ac *decreto publico et municipali edicto in executionem dicti Privilegii et juxta intentionem Sacrae Caes. Maj. contentam in dicto Privilegio, ad Primatum et Caput Reipublicae, status et gubernii Florentini ascitus fuit*, cujus Privilegii tenor dicitur esse talis: Carolus Quintus et quae sequuntur. Inhaerentes Nos dicto privilegio, Caesarea, qua fungimur, auctoritate, dicimus et declaramus, Primatum Reipublicae status et Gubernii Civitatis et Dominii Florentini deberi Illustri Cosmo de Medicis, filio Magnifici Joannis de Medicis, exclusis penitus dicto Laurentio et ejus posteris ut inhabilibus et incapacibus et legitime privatis, quodque Illustris Cosmus de Medicis sit atque esse debeat Reipubli-

publicae Florentinae, Gubernii, ſtatus atque Dominii, et Regiminis caput et Primarius, et ſub ejus praecipua cura et protectione ipſa Civitas et Reſpublica cum univerſo ejus ſtatu et Dominio regatur, manuteneatur, et conſervetur, quamdiu praefatus Coſmus vixerit, eoque è vivis ſublato ejus filii haeredes, et ſucceſſores, *ex ſuo corpore legitime deſcendentes maſculi*, ita ut tam praefatus Coſmus, quam ſui ſucceſſores praedicti poſſint et valeant ac debeant in omnibus magiſtratibus intereſſe et praeeſſe, ut primarius et caput omnium praedictorum Magiſtratuum, poſſitque *ex Caeſaris gratia* uti et frui ea omni auctoritate, qua Illuſtris quondam Alexander tempore ejus obitus uti poterat, et utebatur, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscumque in quorum omnium fidem et teſtimonium praemiſſorum, Nos praefatus Ferdinandus de Silva, Comes de Ciſuentes, nomine quo ſupra has patentes literas fieri juſſimus, manu noſtra firmatas, ſigilloque noſtro munitas, et ex noſtro Secretario roboratas. Datum in Civitate Florentina in Domo et palatio Illuſtris familiae de Medicis in parte inferiori in Camera noſtrae ſolitae reſidentiae, die 12. Menſis Junii Anno à nativitate Domini 1537.

Conde Alferetz.

Nos igitur omnia et ſingula per praedictum Comitem à Ciſuentes, Mandatarium noſtrum, ut praemittitur, Noſtro nomine et auctoritate in vim mandati, ac executionem Decreti ſeu Privilegii noſtri, in beneficium publicae quietis praedictae excelſae Reipublicae Florentinae, et pro ornamento familiae Mediceae facta et declarata plenum effectum ſortiri cupientes; atque eo quidem magis, quod id ipſum non ſolum praefatus Coſmus, verum etiam ipſa Reſpublica Florentina ſe gratum habere declarantes, per ſuos ad Nos Oratores Magnificos *Noſtros et Imperii ſacri fideles dilectos*, Averardum Serriſtorum et Joannem Bandinum *à Nobis ſuppliciter et cum omni ſtudio petierunt, ut praemiſſa confirmare et ratificare dignaremur.* Idcirco attentis praemiſſis, et tam ipſius Reipublicae ſtatus Florentini, quam ſupradicti Coſmi et familiae Mediceae cauſa, quam una cum ipſa Republica et ſtatu, paterno amore et benevolentia proſequimur, ac non modo fovere ac protegere, ſed etiam beneficiis augere et ornare ſemper cupimus; harum praeſentium tenore, ex certa ſcientia, non ducti errore aut improvidentia, ſed de omnibus praedictis bene edocti animoque deliberato ac ſano et maturo, *Procerum Noſtrorum et Imperii Sacri fidelium, dilectorum accedente conſilio*, praenarratam declarationem, atque alia omnia et ſingula per ſaepe nominatum Comitem à Ciſuentes Mandatarium Noſtrum, ut praefertur, acta, geſta, et ſuperius enarrata, et inſerta, in omnibus ſuis punctis, clauſulis, ac articulis, partibus, et ſententiis, rata, et grata habentes, approbamus, ratificamus, confirmamus, et authorizamus de Imperialis Noſtrae poteſtatis plenitudine, et quatenus opus eſt ea omnia de novo decernimus, declaramus et conſtituimus, ac Imperialis auctoritatis et decreti Noſtri robore, et firmitate munimus; decernentes ea omnia et ſingula valida et firma et perpetua eſſe et cenſeri et intra extrave judicium, plenumque ſortiri effectum, ac inviolabiliter obſervari debere. Promittentes in verbo Noſtro Caeſareo et Regio, Nos quoque ea omnia et ſingula inviolabiliter obſervaturos et non contraventuros ullo ingenio, colore, ſeu praetextu, omni dolo et fraude ſemotis; ſupplentes etiam ex praefata Noſtra vera ſcientia et poteſtatis plenitudine omnes et quoscunque defectus tam Juris, quam facti, et ſolennitatis, cujuſcumque omiſſiones, qui quaeve in praemiſſis quovis modo interveniſſent, ſeu dici et allegari poſſent non obſtantibus quibuſcumque legibus, ſtatutis, decretis, ordinationibus, conſuetudinibus, privilegiis, conceſſionibus, aut aliis in contrarium facientibus quibuſcumque, etiamſi talia forent, de quibus in praeſentibus ſpecialis mentio fieri deberet, Nos enim eis omnibus et ſingulis, ac ſi ſpecifice et de verbo ad verbum hic inſerta et expreſſa eſſent, derogamus, et derogatum eſſe volumus, et decernimus, et jubemus ſcientia, auctoritate et poteſtate ſupradictis, *Noſtra tamen et Imperii ſuperioritate et juribus ſemper ſalvis.* Nulli ergo omnino hominum liceat has Noſtras violare, aut eis quovis auſu temerario contraire, aut contra praemiſſa aut praemiſſorum, aliquid, ſive intra ſive extra judicium facere aut venire, ſi quis autem ſecus attentare praeſumpſerit, Noſtram et Imperii Sacri indignationem graviſſimam, ac poenam mille marcarum auri puri Imperiali fiſco ſeu aerario Noſtro irremiſſibiliter applicandam ſe no-

verit incurrisse, harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, et bullae Nostrae aureae appensione munitarum. Datum in oppido nostro Montisoni, die ultima mensis Septembris, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo, Imperii Nostri decimo septimo, et Regnorum Nostrorum vigesimo secundo.

Carolus
V. Perenotus

Ad mandatum Caesareae et Catholicae Majestatis proprium.

Jo. Obernburger.

Q. *S. C. XLVIII. Virorum Florent. quo, vi Privilegii Imper. Cosmus declaratur rei publicae caput. Die 9. mensis Januar. 1536. per Cons. Octovir. Florent.*

IL Signr. Luoghotenente, et suoi Magfi. Consiglieri, insieme ragunati, con li Magn. Capit. de consiglio di XLVIII. inteso la subita, et inopinata morte, del Quondam Illmo Sigr. Duca Alexandro di Medici, et considerato per questo la citta restar senza il capo, del suo gouerno è pero volendo, quanto piu presto si puo, provedere a quel in conveniente, acchioche la citta, è suo dominio per questo ne patisca; *è considerato le indulto, è privileggio della Maësta Cesarea, altra volta concesso à sua Exza, insino l' anno 1530. di esser capo del governo della città successivo*, è doppo la vita sua, concesso similmente à piu alteri della Illma Famiglia de Medici, in detto inducto compresi; èvedendo, che in tal gouerno, manchando il prefato Sigr. Duca senza figlioli legitimi, e non ci essendo indicio alcuno, che la sigra Duchezza sia restata gravida, doveva in suo luogho *succedere secondo il tenore, di detto indulto, è privileggio*, Lorenzo di Pier Francesco di Medici, come quello ch'e de piu proximi, et di maggior eta. Ma per haver si luy tolto tal luogo, per esser intervenuto personalmente, alla morte del detto Illm. Sigr. Duca; pero i prefati Magnif. Capit. del Consiglio di XLVIII. commedi sopra, insieme ragunati, per loro solenne partiti vinto secondo li ordini, et per ogni meglior modo, che sepino e poterono, elegono e deputorono, in luogho del Quondam prefato Sigr. Duce Alessandro, il Illmo Sigr. Cosimo, figliolo del Magnf. Signor Giovanni de Medici come piu prossimo, per capo, et primario del gouverno della città di Fiorenza, e suoi Dominii, dichiarando ch' el habbia la medesima autorità, preeminentia, et podestà concessa li *per detto indulto, è privileggio de la Maësta Cesarea*, in tutto et per tutto, con espressa risservatione, che si quondam Signora Duchessa fosse gravida, e parturissi figlio maschio, che in tal caso *habbia a seguitare l' ordine del indulto predetto di sua Maësta*, è similmente quella encora, che per alteri provisione fatte qui, della citta piu volte, al prefato Sigr. Duca Alessandro de Medici fu concessa, conquelle non di manco limitationi, è dichiarationi, che per tutto il giorno di domani, che saranno a di Dieci del presente mese di genaro, saranno ordinati, è fatti, e vinte per partito, delli Magnif. infra scritti otto Capitanei, coiè, . . . Equali, il prefato Consiglio di 48. elegono, e deputorono, con autorità pienissima à fare, et ordinare le dette dichiarationi, e tutto quello che intorno accio paressi loro necessario, per salute della città, e suo governo, bastando l' approbatione colla metà delle favenere.

R. *Rescriptum Maximiliani II. Imp. ad Cosmum I. Florentiae Ducem, quo concessio tituli Magni Ducis, a Pontifice Max. facta, irrita declaratur, ex Archivo Imper.*

ILlustrissime Dux, Affinis, et Princeps charissime, cum Nobis aliquoties per Dilectionis Tuae Oratorem in Curia Nostra residentem, expositum fuerit, Dilectionem Tuam scire cupere, quid illam de praetensa magni Ducatus Hetruriae inauguratione facere velimus, Nos, etsi accepto praeteritis mensibus Sanctissimi Dn. Pontificis

ficis responso, ad factam longo ante tempore coram Sanctitate sua, et Reverendorum in Christo patrum S. R. E. Cardinalium collegio insinuationem protestationis Nostrae, contra ejusmodi inaugurationem praeteritis mensibus, in arce Nostra Regia Praga solemni modo interpositae, ad Sanctitatem suam ea scripto referri curavimus, quae Nostra ac Imperii sacri necessitas, hoc loco exposcere, visa est, adeoque cum ista, cum Sanctitate sua, utpute a qua asserta illa inauguratio proficiscitur, agere statuerimus; nihilominus tamen ad praedicti Dilectionis Tuae Oratoris instantiam praetermittere noluimus, quin Dilectioni quoque Tuae animi Nostri voluntatem benigne, ac eo candore, quo in hujusmodi, et quibuscunque aliis negotiis, versari consuevimus, aperiremus. In primis igitur Dilectioni Tuae illud in mentem vocandum occurrit, quod sicut Sanctitati ejus nullo jure licuit tale quid de Hetruria statuere, atque disponere, sic certe Dilectionem Tuam, tanquam *Nostrum, et Imperii nostri Sacri vasallum*, longe minus decuit, oblatam Dilectioni Tuae novam illam dignitatem (si tamen dignitas dici debet, quae indigno modo ac nulliter fit) *insciis Nobis, utpote Romanorum Imperatore, cui in Hetruriam superioritatis jus competere, efficacissimis rationibus, et quidem magna ex parte veteribus, et recentibus investituris probari potest, acceptare, nedum quoad Florentiae statum, Nostram illam ac Sacri Imperii superioritatem, jurisdictionem, et authoritatem non solum in dubium vocare, verum etiam inani quodam libertatis praetextu prorsus negare.*

Nam cum fieri nequeat, quin Dilectio Tua memor sit, quo pacto, et quas ob causas, Divus quondam Imperator Carolus Quintus etc. dominus, patruus, et socer noster charissimus, augustae memoriae, postquam Florentiae civitatem, quae a Majestatis suae, et sacri Imperii devotione desciverat, longe obsidione cinctam ad deditionem adegisset, ac Imperatoriae potestatis plenitudine, et inter alia eam quoque ob rationem, quo deinceps in Majestatis suae, et sacri Imperii fide, et devotione, perpetuo maneat etc. quondam Ducem Alexandrum, reipublicae illius Florentinae gubernio praefecerit: eadem civitate in gratiam recepta, ac in specialem Majestatis suae, et sacri Imperii protectionem, et salvaguardiam assumpta, nec non confirmatis illius privilegiis, juribus, et exemptionibus, quae à Majestatis suae antecessoribus Romanorum Imperatoribus, et Regibus, ac sacro Romano Imperio, antequam a devotione ista recederet, obtinuerat; ac denique eadem superioritate sibi, ac sacro Imperio ita reservata, ut si forsan res publica, ei institutae a Majestate sua regiminis formae contraveniret, tanquam a Majestate sua et sacro Imperio rebellis, ingrata, et inobediens, concessa ipsi remissione, indulto, confirmatione, et privilegiis etc. privata, atque universum ejus dominium ad sacram Romanum Imperium devolutum censeri, et esse debeat, etc. quae quidem omnia ejusdem remissionis, institutionis et creationis literis, expressis verbis continentur. Cum Dilectio autem Tua, praefato Duci Alexandro, eodem plene pacto successerit, sane Dilectionem Tuam, vel eorum omnium parum memorem fuisse credendum, *vel certe absurdum est, id a Dilectione Tua negari, sine quo nec praedecessoris sui, Ducis Alexandri erectio, nedum Dilectionis Tuae, vigore ejusdem institutionis ad se delata successio, valida esset, atque subsisteret.*

Quae cum sic se habeant, ac proinde Nos Dilectionis Tuae nulliter factam in magnum Hetruriae Ducem creationem, ac subsecutam paulo post coronationem, absque gravissima a Nostrae Caesareae, ac successorum Nostrorum, sacrique Romani Imperii authoritatis, jurium, et praeeminentiae diminutione nulla omnino ratione ferre queamus, praedicto Sanctissimo Domino Pontifici hanc Nostram mentem, sacrique adeo Imperii necessitatem memorato scripto fusius declaravimus: eundem obnixe rogantes, atque monentes, ut hac in re talia convenientia, opportuna, et efficacia remedia providere velit, quo sublato gravi isto, ac intolerabili praejudicio, Nobis ac sacro Imperio, *Nostra authoritas, praeeminentia, dignitas, et jurisdictio, salva, integra, et illaesa maneat: retractando scilicet ea, quae sic a Sanctitate sua illegitimo modo instituta sint.* Et quia Dilectio Tua ex iis omnibus satis intelligit, id, quod Dilectionem Tuam scire cupere ejusdem Orator aliquoties Nobis retulit, de Dilectione Tua sic Nobis plane pollicemur, Dilectionem Tuam se huic animi Nostri declaratio-

rationi, ut quae ipsa aequitate nititur accommodaturam, ac non solum Sanctitatis suae retractationi se facile submissuram, verum etiam, ubi forte Sanctitas sua in eo se difficiliorem exhibere velit eidem Sanctitati suae, ut Nostris monitis locum faciat, suasorem fore: vel saltem ipsam et Dilectionem Tuam novo illo praetensi magni Ducatus titulo, et nomine, quaeque praeterea eidem adhaerent, se ultro prorsus abdicaturam esse, quo sic negotio isto, in pristinum statum restituto, diversarum dissensionum, scandalorum, et turbarum, quae hac ex re facile oriri possent, praescindatur occasio, quod uti Dilectionem Tuam facturam esse omnino confidimus, sic Dilectioni Tuae certo persuasum cupimus, Nos in aliis omnibus, quae, citra Nostrae ac sacri Imperii, jurium, et authoritatis praejudicium, et diminutionem fieri possunt, Dilectionis Tuae, ac ejusdem filii Illustr. Florentiae Principis, sororii et Principis Nostri charissimi, dignitati et commodis promovendis, pro singulari et benevolentiae et propensionis studio, quo utramque complectimur, nusquam esse defuturos. Quod superest, Dilectionem Tuam diu recte, feliciterque valere, optamus. Datum in oppido Nostro Imperiali, Dunckelspuhl 6. Dec. 1570.

S. *Diploma Maximiliani II. Imper. quo Magni Etruriae Ducis titulus Francisco, Florentiarum Duci confertur, ex Archivo Imper.*

MAximilianus secundus etc. Ad perpetuam rei memoriam, recognoscimus harum serie literarum, ac universis et singulis notum facimus, quemadmodum unicus ille parens rerum, ac mundi opifex, cum mortale hominum genus coelesti civitate donat, id ipsum non promiscue quidem, neque citra delectum facit, sed ut vel virtus, vel officia unicujusque exposcunt, et merentur, in felicissimas quemque divorum classes et ordines digerit, atque collocat, alterumque alteri praeferr; sic Nostrarum quoque partium esse plane cognoscimus, terrestre hoc Nobis concreditum imperium ad coeleste illud quam simillime referre, Nostraque et sacri Romani Imperii beneficia, insignia et honores, pro unius cujusque dignitate, et meritis, distribuere, ac impertiri. Quo sane diligenter respexerunt olim Divi praedecessores Nostri, Romanorum Imperatores, et Reges, omni cura adhibita, ne suum a bene meritis officium desiderari paterentur, quod intelligerent illud ad sustinendam, amplificandamque gloriam et existimationem suam maxime pertinere. Hinc est quod praeclarissimo more ab iisdem Divis Imperatoribus, majoribus Nostris acceptο, nihil antiquius, nihil charius unquam habuerimus, quam Principes, de Caesarea Majestate Nostra, sacro Imperio, inclytaque Domo Nostra Austriaca, ac tota denique Republica Christiana optime meritos, maximorum honorum praemiis prosequi, et ornare, ut intelligant virtutes, egregia facta, excellentiaque merita Nobis esse charissima, ac tum ipsi, eorumque descendentes et posteri, ad virtutem, ac de Nobis, Sacro Imperio, inclytaque Domo Nostra Austriaca, bene merendum magis etiam excitentur, tum alii etiam ad eadem studia sectanda alliciantur et inflammentur. Ejus vero benignae ac piae mentis Nostrae declarandae, amplam et idoneam nacti sumus occasionem, in exornando Illust. Francisco Medices, Reipubl. Florentiae, et Senarum Duce tertio. Quum quidem, tum propter animi sui egregias excellentissimasque virtutes, generisque ac familiae Mediceae, ex qua in utraque republ. tam Ecclesiastica quam politica, multi insignes, praestantissimique heroes prodiere, nobilitatem, tum *luculenta et utilia obsequia, tam Nobis quam antecessoribus Nostris, Romanorum Imperatoribus, et Regibus*, ac praememoratae inclytae Domui Nostrae Austriacae hactenus praestita, nec non maxima in universam Rempublicam Christianam merita, plurimi semper fecimus, et singulari benevolentiae affectione prosecuti sumus, adeo quod in singularis, ac vere sinceri amoris, clementiae, et benignitatis Nostrae testimonium, affinitatem secum inivimus, et utramque familiam eo vinculi genere, quod idem est omnium arctissimum atque sanctissimum, astrinximus, ipsumque in sororium Nostrum cooptavimus. Cum igitur eundem Ducem Franciscum, cujus in Nos sacrumque Romanum Imperium, praeclarae, propensaeque voluntatis studium, nec non in administranda, moderandaque justitia, ac subditis suis recte, feliciterque regendis singularis religio, virtus atque prudentia, Nobis jam

jam diu perſpecta, cognitaque eſt, dignum omnino cenſeamus, quem una cum ſucceſſoribus ſuis, illuſtriori quodam dignitatis et honoris loco collocemus, ſicque inſigne aliquod Noſtrae in Dilectionem ſuam propenſiſſimae voluntatis documentum poſteris relinquamus, atque inſuper, praeter memorata, ipſius Ducis Franciſcio bſequia, virtutes, atque merita, generis item nobilitatem, atque ſplendorem, ac arctiſſimae affinitatis neceſſitudinem animo clementiſſimo repetamus, quae nobiſcum ab aliquot annis per Illuſtr. Coſmum Medicem, (cujus etiam in Divos quondam Imperatores, Carolum quintum, et Ferdinandum, dominos, patruum, ſocerum et genitorem Noſtros chariſſimos, auguſtiſſimae memoriae, ac Nos ipſos, inſignium meritorum grata apud Nos extat memoria, eoque poſtea defuncto, per ipſum filium et ſucceſſorem ſuum praefatum Franciſcum Medicem Duces, de magno Hetrutiae Ducatu acta ſunt, *omnibusque tum ſacri Romani Imperii Principibus Electoribus in maturam deliberationem deductis*, tam ſupra memoratis, quam aliis juſtis, et rationabilibus cauſis impulſi, motu proprio, ex certa ſcientia Noſtra animo bene deliberato ac ſano, *Noſtrorum, et ſacri Imperii fidelium accedente conſilio ea, qua fungimur Caeſarea authoritate*, ac de Noſtrae Imperialis poteſtatis plenitudine, in nomine Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, a quo omnis principatus, et honor promanat, eundem Illuſt. Franciſcum Medicem Ducem, ejusque deſcendentes in infinitum, *maſculos, legitimos et naturales*, ac illis deficientibus, vel non extantibus, *proximiores maſculos ex Medicea familia*, in perpetuum, ut ſupra, omnes tamen ſucceſſuros ordine *ac jure primogenii, in Magnos Duces Hetruriae, eorum locorum, quae ibidem ipſe Dux Franciſcus poſſidet, ſeu ad eum pertinent*, et ipſam provinciam reſpective, ad propriam dignitatem, nomen et titulum Magni Ducatus *re ipſa, et cum effectu eveximus*, exaltavimus, ſublimavimus, et amplificavimus: ipſumque Ducem Franciſcum, ad dictos ſucceſſores ſuos, ejusdem provinciae Hetruriae, Magnos Duces vere creavimus, fecimus, conſtituimus, extulimus, et declaravimus, aliorumque, cujusvis provinciae Magnorum Ducum numero, caetui, et conſortio, realiter aggregavimus, in eorumque ordinem, ac gradum pleno jure cooptavimus. Atque inſuper omnia, et ſingula privilegia, jura, indulta, dignitates, libertates, honores, immunitates, titulos, gradus, honorantias, facultates, authoritates, praeeminentias, ac omnes et quascunque gratias, quibus alii, vere et proprie provinciarum Magni Duces, et Principes, quavis dignitate praeſulgentes, ac quacunque poteſtate fungentes, de jure vel conſuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ſeu uti, frui, potiri, et gaudere poſſunt, et debent, et in futurum quomodolibet poterunt, vel ſoliti fuerint, illis perfecte tribuimus, dedimus, tradidimus, atque conceſſimus, prout per praeſentes eadem ſcientia et authoritate erigimus, exaltamus, ſublimamus, amplificamus, creamus, facimus, aggregamus, cooptamus, damus, concedimus, tradimus, et cum effectu ampliſſime tribuimus, decernentes, *et hoc Noſtro Caeſ. edicto firmiſſime, ſtatuentes, ut poſthac perpetuis futuris temporibus* dicta provincia Hetruriae, una cum ſuis civitatibus, terris, caſtris, oppidis, arcibus, fortalitiis, villis, locis, et juribus, ac univerſis, et ſingulis pertinentiis ab eodem Illuſtriſſimo Duce Franciſco poſſeſſis, ſeu ad eum quomodolibet pertinentibus, pro vero Magno Ducatu habeatur, teneatur, reputetur, tractetur, et ſic idemque Magnus Dux Franciſcus, ejusque praefati deſcendentes, et poſteri, in Magno iſto Ducatu ſucceſſuri, ordine et modo qui dictus eſt, ab hac hora in perpetuum ſint, inſcribantur, dicantur, appellentur et nominentur, Magni Duces Hetruriae, ac ut alii cujuscunque provinciae Magni Duces honorentur, tractentur, et reputentur, ab omnibus et ſingulis, cujuscunque gradus, ſtatus, ordinis, conditionis, et dignitatis extiterint, tam in ſcriptis, quam viva voce, aut alias quotiescunque, et quomodolibet illorum mentio erit facienda, aut eorum ratio habenda fuerit, omnibus et ſingulis praenarratis privilegiis, titulis, honoribus, libertatibus, gratiis, et effectibus tam de jure, quam ex conſuetudine, in genere, vel in ſpecie ipſis Magnis Ducibus competentibus in ſeſſionibus, celebritatibus, pompis, ceremoniis, et actibus, publicis vel privatis, in quibuscunque locis ubique terrarum, etiamſi aliqui alii Magni Duces, ſimilesque Principes, ut ſupra praeſentes fuerint, uti, frui et gaudere poſſint, et debeant, non quidem ad illorum inſtar, et ſimilitudinem,

sed pariformiter, vere, proprie, et absque ulla prorsus differentia, non obstantibus quibuscunque constitutionibus, legibus, ordinationibus Imperialibus, ac provinciarum, civitatum, et locorum quorumlibet statutis, et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Imperiali, vel quavis firmitate alia roboratis: privilegiis quoque, indultis, et diplomatibus Imperialibus, quibusvis personis, etiam Ducibus, quibus forsan Imperiali aut quavis alia authoritate concessum sit, quod privilegiis, favoribus, praeeminentiis et gratiis, ad instar Magnorum ducum, perinde ac si ipsi Magni duces realiter, et cum effectu essent, uti et gaudere possint in genere vel in specie, sub quibuscunque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis, et quantumcunque efficacissimis clausulis, et decretis, quomodolibet concessis, confirmatis, vel innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque tenoribus specialis, expressa, individua, ac de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda esset, eorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes (illis alias in suo robore permansuris) hac vice duntaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, totaliterque et latissime derogatum esse volumus, et decernimus: caeteris contrariis quibuscunque non obstantibus, supplentes ex eadem potestatis plenitudine, et certa scientia, omnes, et singulos defectus, tam juris, quam facti, si qui forsan in praemissis comperti fuerint;

Volumus tamen, quod haec concessio minime debeat praejudicare, juribus cujuscunque praetendentis dominium, super dictis locis, *et ut porro salva sit superioritas Nostra, Sacri Imperii, ac cujuslibet alterius*, utque omnia et singula interpretentur in favorem dictae familiae Medicaee. Nulli ergo hominum liceat hanc Nostrae erectionis, exaltationis, sublimationis, amplificationis, creationis, dispositionis, declarationis, concessionis, decreti, voluntatis, derogationis, suppletionis, et gratiae paginam infringere, vel ei, quovis ausu temerario, contraire: si quis autem id attentare praesumpserit, praeter Nostram et Imperii sacri indignationem gravissimam, poenam mille marcharum auri puri, pro dimidia fisco, seu aerario Nostro Imperiali, reliqua vero parte injuriam passis, irremissibiliter applicandam, se noverit ipso facto incurrisse, harum testimonio literarum, manu Nostra subscriptarum, et bullae Nostrae aureae appensione munitarum.

Datum in civitate Nostra Viennae, die vigesima sexta Januarii, anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, Regnorum Nostrorum Romani decimo quarto, Hungarici decimo tertio, Bohemici vigesimo septimo.

T. Churfürstliches Bedencken *in causa Florentina*, auf dem Churfürstlichen *Collegial*-Tag zu Regenspurg *d. d. 29. Octobr. a. 1575. ex Archivo Imper.*

DEr Römischen Kayserl. Majestät Unsers Allergnädigsten Herrn, in Schrifften ausgeführten Bericht, was in Sachen die Florentinische neue Inauguration belangend, gehandelt, was auch Ihro Kayserl. Majestät zu Niederlegung der Genuesischen Empörung und Niederländischen Kriegs-Unruhen mit embsigen Fleiß und Vätterl. Sorgfältigkeit gehandelt, auch dabey ferners allergnädigst zu bedencken angehengt, dessen alles seyn die anwesende Churfürsten und Pfältzische Abgesandten aus verlesenen Ihrer Kayserl. Majestät schrifftlichen Anbringen, der Nothdurfft berichtet worden.

Wann nun daran kein Zweiffel daß *Florenz* und gantz *Hetruria* von Alters zum Heil. Reich gehörig, daß auch die Hertzogen zu *Florenz* Ihro Fürstl. Würden/*Titul*, Stand und Obrigkeit von Niemand anders als von Röm. Kayser Carl dem Fünfften noch in frischen Andencken erlangt.

Als hats dem jetzigen Hertzogen eben so wenig, als dem vorigen gebührt, solche Würden, Titul, oder Stand, noch vielweniger den Titul eines Groß-Hertzogen Hetruriae oder Toscaniae zu Rom vom Pabst Pio quinto, zu suchen, zuvor ab, dieweil daselb sowohl Ew. Kayserl. Majestät als dem Heil. Reich, daher

daher alle weltliche hohe Würden, Stand und Gebieth, als vom einzigen Brunnen im heil. Reich herfliessen, zu keiner geringen Verkleinerung und Abbruch reichen thuet.

Der und ander Ursachen halben, von Ew. Kayserlichen Majestät wohlbedächtlich angezogenen, lassen die anwesende Churfürsten und Pfältzische Abgesandten, Ihnen, Ew. Kayserlichen Majestät vorgeschlagene Mittel unterthänigst wohlgefallen, daß nemlich der Hertzog zu Florenz den Titul und Nahmen Magni Ducis (des Groß-Hertzogen) zu Florenz, aber nicht zu Hetrurien oder Toscana bey Ew. Kayserlichen Majestät der Gebühr erlangen, und aufbringen soll. Aber doch on Cron, Scepter, und den Titul Serenissimi, daß auch solche Erhöbung seines Tituls Ew. Kayserl. Majestat dem Heil. Reich und sonst männiglichen ohne Nachtheil seyn soll. Inmassen Ew. Kayserlichen Majestät allergnädigstes Bedencken davon ferner Meldung thut.

Daß dann Ew. Kayserl. Majestät die Innerlich oder Bürgerliche Empörung, zwischen den Alten und Neuen von Adel zu Genua auf solche compromittirte Mittel gericht, dadurch solche gewaltige Commun und statt dem heiligen Reich auch angehörig, wiederum zum friedlichen Wesen gebracht, darbeneben auch Ihre ansehnliche Kayserliche Oratores zu der Königlichen Majestät in Hispanien, mit sonderer Instruction und Werbung zur pacification der Nieder-Erb-Landen allergnädigst abgefertigt, mit angehefften Allergnädigsten Käyserlichen Erbieten: Dessen sagen sie die anwesende Churfürsten und Pfältzische Abgesandten Ew. Kayserl. Majestät allerunterthänigst Danck, wollen auch zu GOtt dem Allmächtigen hoffen, derselb wird, nach seiner göttlichen Güte einmahl solche annehmliche Mittel schicken, damit solche langwierige Unruhen zu allen Theilen wiederum zum friedlichen Wesen gelangen, und also ferner Verderben der Christlichen Landen verhütet werden möge. Wie es denn zwar bey diesen ohn deß ontreuen Zeiten, und antrauenden Gefährlichkeiten, dem Heil. Römischen Reich fast hoch nöthig und nützlich ist.

Solches haben Ihre Chur- und Fürstliche Gnaden zu Ihrer allerunterthänigsten Erkläbrung Ew. Kayserlichen Majestät nit haben wollen unvermelt lassen.

Mayntzische Cantzley.

Vers. Latin.

SAcrae Caesareae Majestatis, Domini Nostri Clementissimi, scriptis comprehensam relationem, ubi, quid circa negotium novae inaugurationis Florentinae fuerit actum, itemque quid S. Caesarea Majestas pro supprimenda seditione et discordia Januensi, ac componendis belli Belgici turbis summa diligentia ac paterna cura susceperit, ac perfecerit, ac quid insimul hic sit considerandum, clementissime recenset, praesentes Electores, ac Palatini Ablegati ex Caes. Majestatis libello propositionis, publice lecto, abunde ac prorsus cognoverunt.

Quemadmodum vero nequaquam est dubitandum, quin *Florentia de universa Hetruria jamdudum et ab antiquo ad Sacrum Imperium pertineat, atque Duces Florentiae Principalem suam dignitatem, titulum, statum, et jurisdictionem a nullo alio, quam Romanorum Imperatore, scilicet Carolo V. Caesare, novissime adhuc, fuerint consecuti*: ita praesenti Duci pariter ac priori et defuncto jus haud competiit, hujusmodi dignitatem, titulum, aut statum, multo minus vero axioma Magni Ducis Hetruriae, sive Tusciae, Romae a Papa, Pio Quinto, efflagitandi, imprimis quum haec res tam Sacrae Vestrae Caesareae Majestati, quam Sacro Imperio, unde omnes seculares et eminentes dignitates, conditiones, et potestates, tamquam ex unico in Sacro Imperio fonte dimanant, non parum damni ac detrimenti adferat. Ob has igitur et alias causas, a Sacra Vestra Caesarea Majest. prudentissime allegatas, praesentes Electores, et Ablegati Palatini remedia, a Sacra Vestra Caesarea Majest.

Majest. proposita, humillime comprobant, eo collineantia, ut scilicet Dux Florentiae titulum ac nomen Magni Ducis *Florentiae*, neutiquam *vero Hetruriae sive Tusciae* a Sacra Vestra Caesarea Maj. prouti par est, expetat ac impetret; ita tamen, *ut haec concessio Coronam, Sceptrum, atque titulum Serenissimi minus complectatur, itemque talis erectio et extensio axiomatis S. Vestrae Caesareae Maj. S. Imperio, ac cuilibet alteri nihil praejudicii conciliet;* prouti in S. Vestrae Caesareae Maj. clementissima declaratione hoc amplius memoratur.

Quod porro S. Vestra Caesarea Maj. domesticam sive civilem discordiam et seditionem, veterem inter ac novam Nobilitatem Januae exortam, medio ac modo compromissi sic composuerit ut huic potenti Communitati et Civitati, quae etiam Sacro Imperio paret, pax pristina et tranquillitas fuerit resticuta itemque suos maxime spectabiles ac illustres Caesareos Oratores ad Regiam Maj. Hispaniarum cum speciali instructione et mandato, pro pacandis Belgii Provinciis hereditariis, clementissime ablegarit, ac clementissimam Caesaream voluntatem ejusque explicationem adjunxerit; S. Vestrae Caes. Maj. praesentes Electores et Ablegati Palatini humillimas agunt gratias, in Deo omnipotente prorsus sperantes, fore, ut Iste, secundum Divinam benignitatem Suam, tandem idonea et accepta Media largiatur, quibus effici possit, ut tales diuturnae turbae ubique ac ex omni parte e medio tollantur, publica quies redeat, adeoque ulterior calamitas et pernicies in terris Christianis evitetur. Quandoquidem, his perfidiae plenis et pericula minantibus ac praesagientibus temporibus Sacro Romano Imperio id admodum est necessarium, et perquam utile ac salutare.

Haec Electores, humillimae declarationis loco, S. Vestrae Caes. Maj. exhibere voluerunt.

Cancellaria Moguntina.

U. *Decretum Caesareum Ratisbonense de d. 11. Novembr. ann. 1575. ex Archivo Imper.*

SAcra Caesarea Majestas benigne scit, quod cum Caesarea Majestate sua jam ab aliquot annis per Illustrissimas et Excellentissimas Principes Dominum Cosmum de Medicis, eoque defuncto filium successorem suum D. Franciscum de Medicis, Duces Florentiae, ac eorundem nomine de Magno Hetruriae Ducatu actum sit, atque insuper animo repetit *tum fidelia et utilia obsequia* hactenus Majestati suae ejusque antecessoribus alacri semper promptissimoque studio praestita, tum arctissimam affinitatis necessitudinem, quae Majestati suae cum iisdem intercedit, *ac proinde re hac cum Sacri Imperii Principibus Electoribus in maturam deliberationem adducta, decrevit* ipsi Illustrissimo Duci Florentiae conferre titulum Magni Ducis in Hetruria eorum locorum, quae immediate ibidem possidet, neque alteri cuipiam subjecta sunt, *in eadem forma, et sub iisdem clausulis, quae Illustrissimi Alexandri de Medicis a Divo olim Imperatore Carolo V. Augustae memoriae in Ducem creati erectione continentur. Ita tamen quod hujusmodi concessio, Caesareae Majestatis suae, sacrique Imperii*, ac cujuscunque alterius *juribus praejudicare minime debeat*, id quod Caesarea Majestas sua praefati Illustrissimi Ducis Florentiae Oratori significari vehementer jussit, eidem quod reliquum est, Caesaream suam gratiam benigne deferens. Decretum Ratisbonae die XI. mensis Novembris anno MDLXXV.

W. *Declaratio Collegii Electoralis, de ann. 1582. pro tribuendo Duci Sabaudiae digniore loco ante M. Etruriae Ducem, ex Archivo Taurinensi.*

ROmanae Caesareae Majestati, Domino suo Clementissimo, Principes Electores, qui praesentes sunt, atque aliorum Consiliarii Legati, exhibent humillime exem-

exemplum hujus supplicationis quam Oratores *Principis Sabaudiae* ad haec Comitia ablegati, dictis Electoribus et Consiliariis supplicando tradiderunt, juxtaque eandem petiverunt. Itaque suam Caesaream Majestatem celare non possunt, quod in consultatione hujus supplicationis in memoriam revocarunt: cum Caesar Maximilianus Secundus, piae memoriae, *communi consensu sacri Imperii Principum Electorum* Domino Cosmo, petitum nomen et titulum Magni Ducis Florentiae clementer concederet et daret, in ea concessione expresse reservatum, et cautum esse, quod scilicet talis concessio sacri Imperii Principibus Electoribus, et aliis Principibus, sine detrimento erit: cum ergo de eo nullum existat dubium, sicuti dictis Electoribus, et Consiliariis notum est, deque eo se declarant: Quod Dux Sabaudiae sit Princeps sacri Imperii ex sanguine Germano Ducum Saxoniae oriundus, quodque sit Vicarius Imperii per Italiam, ideo sentiunt justum et aequum esse, quod idem Dux, etiam in dicta Caesarea reservatione sit comprehensus, atque ideo praecedentia ante Magnum Ducem Florentiae in Caesarea capella, et omnibus aliis locis eidem Duci Sabaudiae competat, et ad eam admitti debeat; Quapropter ipsi praesentes Principes Electores, et aliorum Consiliarii, Caesaream Majestatem humillime rogant, *ut dicto Duci Sabaudiae, tanquam sacri Imperii Principi, praecedentiam, vigore praefatae reservationis, ante Magnum Ducem Florentiae in sua Caesarea capella clementissime permittat*, sicuti quoque ille, tanquam a Germano Principum sanguine natus Princeps, et Vicarius sacri Imperii per Italiam, praecedentiam ante omnes Italiae Principes in Caesareae Majestatis aula et capella, perinde in Italia, atque in Germania semper habuit, et adhuc, vigore dictae reservationis, habere, et retinere debet. Conclusum in Senatu Electorum XXIII. Augusti anno octuagesimo secundo.

M. Petrus Kraych, Consiliarius et Secretarius Mogunti: in fidem subscripsi.

X. *Rescriptum D. Leopoldi Imperatoris ad Cosmum III. M. Florentiae Ducem, de ann. 1701.*

Serenissime, Princeps Charissime. Nulli sane dubitamus, quin Dilectio Vestra haud fieri potuisse Nobiscum existimaverit, ut Mantuae Dux Ferdinandus Carolus rejecto, quod Sua Sanctitas ipsi promiserat, auxilio militari, bellique nervo, ac spretis salutaribus monitis et rationibus ipsi pr Ablegatum illic Nostrum uberius saepiusque demonstratis atque Exercitu Nostro jam tum illue properante, et eo ipso quidem tempore, quo se sine praescitu, Consensuve Nostro ne vel quicquam facturum, permissurumve jurato asseruerat, de tradenda Mantuae feudi Nostri Imperialis urbe et Castello cum Gallis et Andegavensibus tractaret, imo nulla suadente ratione, ac ne unico quidem hostilis tormenti globo petitus illam re ipsa dederet. Verum cum aliter acciderit; isque omnis fidei Nobis sacroque Romano Imperio juratae immemor prae sola auri Gallici Suae ipsiusmet Patriae totiusque Italiae Saluti praepositi cupiditate, tam nefanda et Principe plane indigna feloniae labe se contaminare, ac in laesae Majestatis Nostrae Caesareae et rebellionis crimen praecipitare non erubuerit; Profecto non potuimus, quin pro supremo, quo fungimur, officii nostri Caesarei munere, ea, quam tum communes, Vasallagii leges, tum Sacri Imperii Constitutiones Nobis praescribunt, severitate in eundem illiusque Consiliarios imprimis autem N. Beretum et N. Fianum animadverteremus, eosque ad audiendum et videndum bona sua respective caduca et fisco Imperiali delata esse; Fisco Nostro Imperiali ad id una officii sui monito citaremus subditosque obedientiae juramento absolveremus, prout etiam hodierna die tum et illos ita citavimus, tum et hos ita absolvimus. Quemadmodum igitur persuasi sumus, Dilectionem

M Vestram

Veſtram juſtiſſimae ordinationi huic Noſtrae imperiali facile aſſenſuram, ita etiam Nobis certo pollicemur, fore, ut et ipſa pro noto Nobis alias ac *debito ſuo fidei intemeratae Zelo, proque jurisjurandi, quo Nobis et Sacro Imperio obſtringitur, religione Nobis immota adhaereſcat*, neque Gallicis vel Andegavenſibus; Hiſpanicisque Copiis Militaribus Ducatum Mediolanenſem aliaque feuda Noſtra Imperialia contra fas et nefas uſurpantibus ac depopulantibus vel minimo adminiculo aſſiſtat, quin illos potius a ſe terrisque ac finibus ſuis vi et armis avertat et propulſet; Exercitus vero Noſtros omni benevolentia, hoſpitalitate atque adjumento proſequatur. Cedet hoc ad majorem Dilectionis Veſtrae gloriam et commune Imperii Romani praeſertim vero viciniae ſuae totiusque Italiae reſtaurationem et incrementum, utpote quod et Nos, qua poſſumus et debemus, ſollicitudine et opera indefeſſe promovere Divina, qua confidimus, ſub ope, non intermittemus. Quid quod reliquum eſt, gratiae ac benevolentiae Noſtrae Caeſareae affectu eandem complectimur, Laxenburgi 20. May, 1701.

DE

DE
LIBERTATE
CIVITATIS FLORENTIÆ
EJUSQVE
DOMINII.

MDCCXXV.

DE
LIBERTATE CIVITATIS
FLORENTIAE
EJUSQVE
DOMINII.

QUum nonnullorum mentes invaserit opinio quaedam, nullo juris fundamento suffulta, Imperatorem in universam Etruriam sibi posse jus aliquod vindicare: dubitandum non est, falsam hanc opinionem aequi rectique amantissimos Principes Foederatos induxisse ad capessendum consilium, ut qui post Regnatricem Domum in Etruria foret successurus, eam jure Feudi Imperialis obtineret. Apparet id ex Articulo V. conventionum, quae inter ipsos initae fuerunt pro pangenda pace inter Caesaream, et Regis Hispaniarum Majestatem.

Et quamvis notum compertumque sit omnibus, Serenissimum Magnum Etruriae Ducem continuo reclamasse, ut eos a proposito removeret: et opportune illius Ministros ad tuenda jura Florentiae, ejusque Ditionis apud eosdem Foederatos Principes protestatos fuisse, ne quod praejudicium Libertati Dominii Florentini inferretur; nihilominus operae pretium est palam facere, ac pervulgare vetustissima jura omnimodae Libertatis Florentinae Ditionis; ut iis cognitis perspectisque, Foederati Principes pro ea, qua excellunt aequitate atque justitia, consilium abjiciant, ab omni jure rectaque ratione tam alienum: quod utique nunquam coepissent, si rei veritatem non ignorassent, eaque explorata habuissent, quae procul dubio Regia Celsitudo Magni Etruriae Ducis ipsis ultro communicasset, nisi ipso insciente, ac nihil tale cogitante, ea fuissent acta ac pertractata. *Occasio scribendi.*

Ac primum omnium satis constat inter omnes omnis aevi scriptores, nullum esse titulum tam firmum et inconcussum, quam pacificam plurium seculorum possessionem, praesertim cum de Regno ac Principatu controversia est: atque hujus longaevae possessionis hunc esse praecipuum effectum, ut antiquus possessor nullum titulum allegare et probare teneatur. *Antiquissima possessio libertatis.*

Quamvis autem unicum hoc fundamentum antiquissimae, et numquam legitime interruptae possessionis adeo firmum ac stabile sit, ut nullis machinamentis, nulla arte convelli possit, ac labefactari; tamen jus omnimodae et absolutae libertatis, quo semper ab antiquissimis temporibus usi sunt Florentini in toto suo territorio, tam evidentibus rationibus et argumentis tueri possunt, ut et ipsa per se sola sufficiant ad illud certo constituendum, et conjuncta cum longaeva possessione tollant omnem penitus controversiam.

Etenim quamvis labente Imperio Romano, et Italia primum a Gothis, mox a Longobardis occupata atque direpta, quae fuerit rerum facies in Etruria, quis Florentinae civitatis status, quae forma Reipublicae, nihil explorari haberi possit (Adeo enim omnia incerta sunt, et confusa inopia scriptorum, qui aut ad nos non pervenerunt, aut inter se pugnantia scripserunt, ut illud etiam dubium, controversumque sit, an Totila Florentiam expugnaverit et everterit, an vero a Florentinis re-

pulsus fugatusque fuerit, ut optime observat Borghinius (a): nimirum tanta est illorum temporum caligo, ut etiam illustria facta, et omnium sermonibus celebrata, tenebris vetustatis obducta delitescant) tamen illud est in confesso, Carolum Magnum, victo captoque Longobardorum Rege Desiderio, Romam postmodum euntem et redeuntem venisse Florentiam, & a Florentinis exceptum hospitio magnificentissimo, Natalem Domini nostri diem magna cum populi laetitia Florentiae celebrasse, et benevolentiae gratique animi ergo multos cives Equestris ordinis insignibus decorasse, et aliis honoribus pro ea, qua erat beneficentia, civitatem (b) ornasse.

Reipublicae status tempore Caroli Magni.

Constat etiam, eo tempore penes duos Consules ac Senatum rerum summam, ac Reipublicae administrationem (c) fuisse: eosque perfectam amicitiam cum Regibus, Carolo Magno in Imperio succedentibus, conservasse.

Nihil autem attinet accuratius examinare quodnam fuerit subsequentibus temporibus, tum Marchionum ac Ducum, qui nonnulla Etruriae loca occupaverant, tum Vicariorum Imperialium, et Pontificiorum imperium, dominatus, jurisdictio. Etenim ea omnia sunt adeo dubia, confusa, perturbata, et scriptorum dissensione involuta, ut nemo, quantumvis diligens antiquitatis investigator, veritatem possit expiscari. Quocirca quicumque eorum seriem, gesta, dominationem, potestatem enucleate perscribere aggressi sunt, variis erroribus implicati saepe fluctuarunt, et dubia et incerta pro certis, et obscura atque ignota pro notis affirmarunt: ut facile esset ostendere, nisi id et a nostro instituto esset valde alienum, et omnino supervacaneum.

Quoniam satis compertum est, quod licet aliqua Etruriae loca in eorum potestate essent, tamen quamplurimae civitates, cum majores, tum minores, eorum imperio minime parebant, suis legibus viventes, suos Magistratus creantes, quibus solis obtemperabant.

Inter has praecipue fuit Florentia, quae nullius ditioni subjecta erat, nec ipsius Comitissae Matildae (d), quae multo latius, quam ceteri, imperium obtinuit; licet enim quamplurima bona privati juris, tum in agro Pisano, tum in Florentino possideret, quorum multa Ecclesiis donavit: tamen in Florentiam, quae nullo jure ipsi erat obnoxia, aliquam potestatem exercuisse, nemo unquam memoriae prodidit.

Status Reipublicae post Carolum Magnum.

Haec absoluta libertas, ab omni jurisdictione prorsus immunis, eo clarius apparet subsecuris temporibus, quo illa, excussa veteri caligine, certioribus monimentis, tum publicis, tum privatis abundant, quibus liquido demonstratur, civitatem Florentinam semper, citra Imperatoris aut cujusquam alterius Principis autoritatem, solius Populi arbitrio ac potestate, statum Reipublicae ordinasse, et saepe mutasse, primo, ut dictum est, *Consulum*, deinde *Antianorum*, denique *Priorum* Magistratu constituto: quibus ipsa dabat imperium et jurisdictionem, et ad certum tempus Reipublicae administrationem commendabat. Eadem leges pro arbitrio condidit: cum finitimis bella gessit: Faesulas anno 1010. et quamplura oppida nullo reclamante occupavit, et expugnavit, aut sponte se dedentes in ditionem recepit: pacem cum quibus voluit, pepigit: cum multis civitatibus ac Principibus foedera percussit (e): monetam, sua ipsius autoritate proprio signo signatam, semper (f) cudit: quae omnium gentium judicio certissima sunt plenae perfectaeque libertatis argumenta.

---

a) Vincent. Borghin. par. 2. in discurs. *Se Firenze fusse distrutta da Totila* pag 265. et 271. Paul. Minius in suo tract. *Della difesa de' Fiorentini* pag. 75.

b) Naucler. vol. 2. generat. 27. Annal. Reg. Francor. ab Astronomo Ludovic. Reg. domest. ad an. 786. inter Scriptor. German. collect. a Justo Reubero Cronic. Reginon. lib. 2. ad ann. 786. inter German. Scriptor. collect. a Jo. Pistorio.

c) Leand. Alberti in descript. Tusciae. Podius Histor. Florent. lib. 1.

d) Blondus decad. 2. lib. 3. et Æneas Silvius in Epitom. *Matildis cum viro Gotfredo Lucam in Etruria, Parmam, Regium, et Mantuam in Longobardia possidebat, et Terram, quae nunc S. Petri Patrimonium appellatur.*

e) Horum series adjicitur in fine, n. 1.

f) Joan. Villan. Cron. Florent. lib. 6. cap. 54. Vincent. Borghin. p. 2. in discurs. *Della moneta Fiorentina.*

gumenta. Atque eo certiora redduntur, quod nullum extat in Florentina urbe publicum monumentum, nulla in publicis tabulis memoria, ex quibus ne suspicari quidem merito possimus, aliquid autoritatis habuisse Imperatores, aut alios Principes in Reipublicae administratione.

Imo cum eadem Respublica semper magno animo represserit vim et conatus, cum aliorum Principum, tum Imperatorum, eorumque Vicariorum, qui libertatem ejus imminuere tentarunt, et semper prospero successu libertatis amittendae periculo se subtraxerit: sive id civium fortitudine ac sapientia, sive fato quodam et fortuna civitatis evenerit, ut putant Augustinus Nifius (a), et Christophorus Forstnerius (b) scriptor Austriacus in tractatu, quem Imperii Vicecancellario nuncupavit, certo certius est, eam semper fuisse compotem perfectae libertatis.

Libertas asserta adversus Vicarios Imperatoris.

Primum enim anno 1172. (c) obstiterunt Florentini Christiano Archiepiscopo Moguntino, quem Imperator Fridericus I. in Etruriam miserat, ut quaesito colore pacandi provinciam, eam Imperio addiceret. Huic enim noluerunt obtemperare, respondentes: se suis legibus vivere, suoque jure atque autoritate Rempublicam velle administrare.

Rursus anno 1281. cum Rodolphus I. Imperator, flagitantibus Ghibellinis, Vicarium suum Lauddum (d) misisset, civitas Florentina excipere renuit, illique se nolle obtemperare declaravit.

Non magis prospero successu missus est ab eodem Imperatore alter Vicarius Prinzivalles Fliscus anno 1286. (e) ut Historici omnes, cum Itali, tum Germani testantur.

Nec meliore fortuna usus est Vicarius, missus ab Adulpho Nassaviensi anno 1295. (f) quem Florentini neque admittere, neque cum eo tamquam Vicario Imperatoris ulla de re pertractare voluerunt: et solummodo, summi Pontificis precibus annuentes, certam pecuniae summam ei largiti sunt, ut in patriam reverti posset.

Libertas asserta adversus Imperatores.

Non tantum obstitit Respublica Vicariis Imperatorum, eorumque conatus elusit; sed ipsorum etiam Imperatorum vim saepe repressit, qui succincti armis, et extrema minitantes, civitatem invadere, et libertatem opprimere moliebantur.

Henricus tertius (g) anno 1081. post longam obsidionem, re infecta discedere coactus est.

Fridericus secundus anno 1247. clausis portis civitatis exclusus est, ac rejectus. Licet enim ad urbem accessisset, a civibus ipsis factionis Ghibellinae accersitus, ut factionis Guelfae potentiam deprimeret; tamen cum utraque factio in suspicionem esset adducta, illum arrepta occasione meditari civitatem in suam potestatem redigere, communi consensu portas occlusit adventanti: et exclusus, nihil quidquam ab iis potuit impetrare, nisi ut Ghibellinis administratio Reipublicae (h) concederetur, ad quam, post mortem Imperatoris, Guelfi etiam admissi fuerunt (i).

In irritum quoque reciderunt omnes conatus Ludovici Bavari (k), qui propriis armis instructus, et Castruccii potentia succinctus, incassum multa tentavit.

Non minus strenue feliciterque se opposuit Imperatori Sigismundo (l) anno 1431.

---

a) In tract. De Regnand. Peritis, lib. 2. cap 4.

b) Omiss. ad Tacit. ad lib. 6. Annal. p. 74. *Saepe desperatis rebus tempus medetur, et quae ineluctabilia videbantur, fatum et fortuna confecta dederunt. Sic Florentini non semel in perdendae libertatis periculo erant, cum salus unde minus sperabatur, affulsit.*

c) Sigon. de Regn. Italiae lib. 14. Ammirat. in lib. 1. adaucto ad ann. 1172.

d) Naucler. vol. 2. gener. 43. Ammirat. lib. 3. ad ann. 1281. S. Antonin. Archiep. Hist. par. 3. tit. 20. cap. 4. § 4.

e) Naucler vol. 2. gener. 44. S. Antonin. ubi sub cap. 6. §. 1. Mutius in Cronic. Germ. lib. 21. inter script. Germ. collect. a Jo. Pistorio tom. 2.

f) Plene Vincent. Borghin. par. 2. in discurs. *Se Firenze ricompro la liberta da Ridolfo.*

g) Sigonius. Ricordan. Malaspina, et Ammirat. quorum verba subjicientur, n II.

h) Nauclerus. Messia. Krantzius, et Blondus in fin. n. 111.

i) Leonardo. Aret. lib. 2. in princ.

k) Leon. Aretin. lib. 5. Ammirat. lib. 5. Blond. decad. 2. lib. 9. S. Antonin. par. 3. tit. 21. cap. 6. §. 8.

l) Blond. decad. 3. lib. 5. Podius lib. 7. in princ.

no 1431. ac deinceps aliis quibuscunque (a), qui aut eam in ditionem redigere, aut libertatem ejus laedere meditabantur. Quibus aperte evincitur, Rempublicam Florentinam semper jus suae libertatis acerrime defendisse, et ab ejus possessione numquam fuisse dejectam.

Administratio Reipublicae exteris demandata.

Atque adeo fuit tenax suae libertatis, ut ad eam tuendam conservandamque maximis se periculis objecerit: et intestinis odiis et civilibus discordiis agitata, ad eas sedandas, resque componendas, et in meliorem formam redigendas, quandoque summi Pontificis patrocinium et opem imploraverit: quandoque potestatem illam absolutam, quam ipsa habebat in suos cives, externo alicui Principi mandaverit ac delegaverit: nunquam vero, ne in difficillimis quidem ac turbulentissimis temporibus, ad Imperatores confugerit, et in eorum praesidio tutelaque constituerit suae salutis propugnaculum.

Quamobrem cum Factio Ghibellina Guelfos ejecisset, ut adversus ipsos se tueretur, confugit ad Manfredium Siciliae Regem, quem Florentiam evocavit, atque ipsi Imperium detulit (b). Cum autem hic in bello victus et occisus in pugna ad Bonconventum fuisset a Carolo Duce Andegavensi, ac proinde Guelfi in pristinam fortunam restituti, Reipublicae administrationem iterum suscepissent, et Ghibellini a gubernaculis Reipublicae dejecti sollicitarent Corradinum, ut ipsis opem ferret ad Guelfos ejiciendos e civitate; populus Florentinus, ut posset validius ipsis se opponere, et civitatem ab eorum irruptione defendere, merum et mixtum Imperium dedit praedicto Duci Andegavensi, eique ad decennium certis legibus ac conditionibus administrationem Reipublicae commisit (c).

Haud aliter idem populus Florentinus anno 1301. quum Factio Guelfa, quae civitatem regebat in duas Factiones divisa fuisset, videlicet in Albos et Nigros, ad reconciliandas has duas Factiones deliberatum fuit, ut refert Divus Antoninus (d) Archiepiscopus, Pontificem adire, postulareque, ut Principem aliquem regii generis, „ Florentiam mittere curaret ad statum civitatis componendum. Quapropter Romam se contulit Cursus Donatus, ejus consilii princeps, ut Bonifacium VIII. supplex rogaret, ut ejus rei curam susciperet. Et cum Summus Pontifex jam elegisset Carolum Valesium, defensorem Patrimonii Sancti Petri (e), et sui exercitus Imperatorem in locis, quae in Etruria possidebat, huic eidem commisit, ut Florentinorum discordias sedaret, et duas illas Factiones inter se conciliaret. Adventante autem ad urbem dicto Carolo Valesio, deliberatum fuit, an in urbem esset admittendus: et tandem obtinuit sententia, ut, quum ad pacificandum populum missus esset, reciperetur. „ Nec multo post (subdit deinceps Divus Antoninus (f)) concio„ nem petens (*Carolus*) adstantibus magistratibus et populi multitudine, se pacis causa „ venisse confirmavit: id quo perficere posset, liberam ad hoc potestatem sibi per „ populum concedi oportere. Postquam id quoque permissum est, jurejurando „ edixit, se recte pacateque, sine cujusdam injuria, potestatem illam habiturum.

Eadem de causa anno 1313, Reipublicae gubernacula tractanda tradidit populus Florentinus Ruperto Regi Neapolitano ad quinquennium, eique postea ad aliud triennium Imperium prorogavit. Ac postmodum anno 1325. eadem potestas mandata fuit ad decennium Carolo ejus filio, non solum citra autoritatem Imperatoris, sed imo, ut ipsi potentius se posset opponere, et omnes ejus conatus eludere: cujus rei, praeter Historicos nostrates (g), mentionem etiam faciunt Germani, Arniseus (h), Krantzius (i), Munsterius (k), Conradus Vecerius (l), et alii plerique.

Facta,

---

a) *Vide infra* pag. 14. et pag. 43. et seqq.
b) Jo. Villan. lib. 6. c. 76.
c) Jo. Villan. lib. 7. c. 15. Late Leonard. Aretin. lib. 2.
d) Par. 3. tit. 20. cap. 8. §. 14.
e) Naucler. vol. 2 gener. 44. Paulus Æmil. Rerum Gallicar. lib. 8.
f) dict. c. 8 §. 15 idemque referunt Leon. Aretin. lib. 4. Blond. decad. 2. lib. 9. Jo. Villan. testis de visu lib. 8. cap 48.
g) Leon. Aretin. lib. 5. et 6. Blond. dec. 2. lib. 9. S. Antonin. p. 3. tit. 21. cap. 2. §. 7. et cap. 4. §. 4. et cap. 6. §. 5. et cap. 7. §. 9.
h) De Republ. tit. De different. Monarch. cap. 2. sect. 15. n. 26.
i) Rerum German. lib 9. cap. 7.
k) In Cosmographia, Carolo V. nuncupata, in verbo Italia: *Anno 1312, petente Henrico urbem, Florentini susceperunt Rubertum Regem Neapolitanum ad quinquennium, quo firmius resisterent Caesarianis.*
l) A secretis Imperatoris Maximiliani I. in lib.

Facta, quae clarissimam hanc veritatem oculis subjiciunt, sunt adeo nota et pervagata, et celeberrimorum Historicorum monumentis sempiternae memoriae commendata, et omnis aevi scriptorum autoritate confirmata, ut ea singulatim percensere, et comprobare sit omnino supervacaneum. Satis sit digitum ad fontes intendisse, nonnullis tantummodo indicatis, quos consulere poterit quicumque volet veritatem curiosius investigare.

Testimonia Jurisconsultorum.

Sed his etiam insuper habitis rem indubitatam faciunt, et procul ab omni controversia veteres Jurisconsulti, fide, doctrina, autoritate omnis memoriae principes, quibus fidem derogare esset intolerandae temeritatis. Hi enim nulla affectione moveri possunt, utpote exteri: atque id tanquam certum, exploratumque, et minime controversum affirmant, et hac in re, quum ad jus pertineat, periti sunt, adeoque eorum dictis ac testificationi omnino standum est. Ergo, ut eorum autoritas a quocumque possit expendi, eorumdem verba subjiciemus.

Paulus Castrensis (a) „ Populus Florentinus, qui non recognoscit superiorem, Principis locum obtinet. Et alibi (b): Sic etiam Florentini, si nollent servare Leges Imperiales, possent hoc de facto facere, sicut de facto non obediunt. Et deinceps: Nam Galli et Florentini non obediunt Imperio.

Abbas Panormitanus (c): Civitas Florentina Imperatorem non recognoscens, „ tantam potestatem habet in suo Dominio, quantam Imperator in suo. Et alibi (d): Haec civitas exercens regalia, habet tantam potestatem in suo territorio, quantam Imperator in universo.

Alexander (e), qui Doctor veritatis communiter nuncupatur: Respublica Florentina aequipollet Reipublicae Romanorum, quum superiorem non recognoscat civitas illa.

Bartholom. Caepolla (f): Et hic similiter, quod etiam committens crimen contra suam civitatem, quae non recognoscit superiorem, sicuti est civitas Florentiae. Et alibi (g): Unde in istis civitatibus, quae superiorem non recognoscunt, sicuti est civitas Venetiarum et Florentiae, si una civitas occupavit bona alterius, potest illa per vim recuperare, quia judicis non est copia.

Felinus Sandaeus ait (h): Posse omnia Florentiam in suo territorio, quae Imperator in suo Imperio. Et alibi (i): Et quae dixi de Principe, procedunt etiam in populo habente jura Imperii, quia potest ea in terris, quae potest Princeps: et talis est populus Florentinus. Et alio loco (k): Per quem textum dicit Romanus in singulari 265. quod communitas non recognoscens superiorem, ut Florentia, potest statuere, ut testimonio unius Episcopi vel Marchionis quaelibet causa decidi possit.

Philippus Decius (l): Imperator nullam exercet jurisdictionem in civitate Florentiae, sive hoc sit de facto, quia ita observatur, etc. Et deinceps: Imperatorem in civitate Florentiae nec contentiosam, nec voluntariam jurisdictionem habere, ita ut nec legitimatio filii naturalis facta ab Imperatore debet in territorio Florentino observari. Et alibi (m): Et quae dicuntur de Principe, intelliguntur de excelsis Dominis Florentinis, qui superiorem non recognoscunt. Et rursus alio loco (n): Et ideo cum ille tertius habeat causam ab excelsa Florentinorum Republica, videtur tutus, ut inquietari non possit, quia Domini Florentini superiorem

lib. De rebus gestis ab Henrico VII. Imp. inter Histor. German. collect. ab Urstisio: *Verum Florentini Imperatoris Henrici non modo exulumque formidine, sed et interna seditione pullulante coacti, imperium civitatis Roberto publice detulerunt; at ne libertati vetustae nova immutatio forte noxia fieret, legem adjiciunt, ut ne supra quinquennium potestas concessa teneretur.*

a) Conf. 118 col. 2. lib. 1.

b) Conf. 181. n. 1. lib. 1.

c) Conf. 91. n 6, p. 1.

d) Conf. 20. n. 1. p. 2.

e) Conf. 196. n. 3. lib. 6.

f) Conf. criminal. 17. n. 13.

g) De Servitut. Urban. praedior. cap. 30. n. 12.

h) In cap. Cum non liceat. n. 10. De Praescription.

i) In cap. Quae in Ecclesiarum. num. 2. De Constitution.

k) In cap. Cum a nobis, n. 3. de Testib.

l) Conf. 557. n. 12. vol, 2.

m) Conf. 125. n. 5.

n) Conf. 387. n. 2.

„ riorem non recognoscunt, et in eorum territorio habent jura Imperatoris, etc.
„ Merito itaque excelsa Respublica Florentina jura imperii, et libertatis sibi vindi-
„ care potest, et idem est in aliis, qui superiorem non recognoscunt.

Non poterat apertius ac luculentius definiri, Rempublicam Florentinam omnino liberam fuisse: superiorem non recognovisse: jura Imperii obtinuisse. Nec minus diserte alii Jurisconsulti quotquot ante constitutum Principatum scripserunt, libertatem a Florentinis, tot seculorum decursu, inviolatam intactamque fuisse conservatam gravissima autoritate confirmarunt: quorum dicta in fine referentur N. IV.

Testimonia Principum Europae. Sed ut veritas haec adhuc clariori luce perfundatur, et liqueat, pateatque, quam nullo fundamento nitatur opinio jam apud multos pervagata contra Florentiae libertatem, quid de Republica Florentina senserint Europae Principes, tum in bellis indicendis, tum in pace componenda, cum in foederibus conciliandis, tum in omni alia actione, in qua suprema jurisdictio, et imperii jura sunt necessaria, considerandum est accuratius: quae, ne interrumpatur oratio, in fine subjicientur N. I.

Horum enim autoritas conjuncta Doctorum autoritati, tollit omnem prorsus dubitationem et controversiam. Quid? quod ipsi Imperatores se id ipsum sensisse, re factisque perspicue declararunt, qua nulla probatio major (a) potest desiderari.

Testimonia Imperatorum. Facta Henrici VII. Henricus VII. Imperator anno 1310. Romam profecturus, missis ad Rempublicam Florentinam legatis, comiter nunciavit, se electum fuisse Imperatorem, et propediem in Italiam venturum: adeoque a Florentinis flagitavit, ut sibi suisque copiis liberum ac securum transitum et hospitium praeberent: itidemque eos rogavit, ut hostilem animum adversus Arretinos deponerent, et ab iis vexandis abstinerent: seque, his impetratis, Florentinorum amicum Fautoremque semper futurum.

Quamvis hac postulatione neque injuriosa, neque inurbana, nullum sibi jus in Rempublicam Florentinam arrogare velle videretur; tamen Florentini, veriti, ne si voluntati Imperatoris sine ulla recusatione obsecundarent, quodammodo libertatem suam imminuerent, cum voce palam legatis, tum ipsi Imperatori per literas satis intrepide ac paulo liberius responderunt, ut Historici (b) tam Itali, quam Germani testantur, et patet ex Literis, quarum exempla in fine subjicientur N. V.

Praeter haec, rogati, ut Legatos mitterent Mediolanum, ubi solenni ritu pompaque coronandus erat, Imperator, hoc ipso mittere recusarunt, quod ab Imperatore rogati fuerant. His omnibus irritatus, Florentinos bello lacessere destinavit; sed illi strenue conatus ejus eluserunt, et jura suae libertatis fortiter propugnarunt, ut Historici (c) memoriae prodiderunt.

Facta Caroli IV. Non minori constantia, atque animi fortitudine restiterunt minis Caroli IV. Imperatoris. Hic a Pisanis accitus ad componendas civiles discordias, civitate occupata in gravem suspicionem Florentinos adduxit. Quapropter hi, juncto foedere cum Senensibus et Arretinis, tuendae libertatis gratia, Legatos ad Imperatorem miserunt. Senenses interea Caesari se adjunxerunt, et secum traxerunt Volaterranos et Miniatenses. Hoc eventu minime deterriti Florentini, simul cum Legatis Pistoriensibus et Arretinis Imperatorem convenerunt: et ipsi soli interrito animo communem omnium causam agentes, a proposito nunquam destiterunt, donec post multas contentiones unanimi consensu ad concordiam firmandam deveniretur, quod omnibus fuit admirationi, ut refert Matthaeus (d) Villani „ Perocchè alla memoria di coloro, che „ erano vivi, nè di molto tempo innanzi si trovava, che il Commune di Firenze „ fusse

a) Ockel. De praescription. cap. 2. thes. 54. et 55. Grot. De Jure Bell. lib. 2. cap. 4. §. 4. et 5. Conring. De finibus Imp. lib. 2. cap. 1. n. 5.

b) Blond. dec. 2. lib. 9. Leonard. Aret. lib. 4. Ammirat. lib. 5. Messia in vita Henrici VII. Tarcagnot. p. 4. lib. 55. Paul. Æmil. Rer. Gallic. lib. 8. Mutius Rer. German. lib. 23. *Florentini arrogantius respondent, suam ab Imperio libertatem praedicant, se libenter quidem habituros amicum Caesarem, et omnes orbis terrarum Principes, sed libertate salva.*

c) Blond. Aretin. Ammirat. Mussatus De rebus gest. Henric. VII lib. 9. et seqq. Krantzius Rer. German. lib. 9. cap. 6.

d) In Cronic. univers. lib. 4. cap. 75.

„ fuſſe ſtato altro che nemico all' Imperio: ed ora vedeano, che con Pace aveva- „ no quei patti, che avevano ſaputo domandare.

Hac ratione Respublica Florentina et imminens periculum declinavit, et antiquam libertatem tutata eſt multo commodius, quam aliae modo laudatae civitates, ut Hiſtorici tradiderunt Matthaeus (a) Villani, et Admiratus (b), qui hujusmodi factum copioſa ac diſtincta narratione illuſtrarunt; necnon Malevoltius (c), Leonardus Arretinus (d), et Blondus (e), qui poſtquam de aliis urbibus diſſeruit, haec verba ſubjicit. „ Nec abeſſe poterat, quin et Florentini jugum fuerint accepturi, ni- „ ſi (*Imperator*) pecunia victus ſeſe flecti, ac eis ſubjici proſternique permiſiſſet: un- „ de Petrarcha in Epiſtola ad Nerium Morandum Forolivienſem, tunc Secretarium „ Imperialem data, ſic perbelle jocatus eſt: Quod vero ſcribis de patria mea, lae- „ te admodum audivi, nihilque miror, quod de auri poteſtate faceti ſſime cavilla- „ tus es; auro enim omnia obediunt.

In hac autem concordia et conventione quam recte ſenſerit de omnimoda, plenaque, et abſoluta libertate Reipublicae Florentinae Carolus Imperator perſpicue declaravit. Etenim ſicut Clemens V. (f) irritas nullasque declaraverat ſententias et condemnationes, ab Henrico VII. promulgatas contra Rupertum Neapolitanum Regem, eo quod Imperatori nullo jure ſubjectus eſſet; ita convenit inter Florentinos et Carolum IV. ut irritas nullasque declararet eas, quas idem Henricus, aut alius quicumque Imperator unquam contra Florentinos eorumque ſocios promulgaſſet, ſicut re ipſa declaravit. Praeterea convenit, ut neque Romam proficiſcens, neque inde revertens, Florentiam, aut quodlibet aliud oppidum caſtrumve muris cinctum Florentinae ditionis ingrederetur.

Veruntamen quia cuiquam, aut non ſatis inſtructo, aut Imperatori nimis addicto, ſcrupulum injicere poſſent quaedam pacta: primum, quod Florentini centum millia florenorum ſolverent Imperatori, ac deinceps annuam penſionem quatuor millium florenorum: alterum, quod ſuos Vicarios declararet Vexilliferum Juſtitiae, et Priores Reipublicae Florentinae: tertium, quod ipſi jusjurandum praeſtarent; idcirco haec omnia accurate ſunt exponenda et enucleanda, ut evidenter appareat, non proinde laeſam et imminutam fuiſſe Reipublicae Florentinae libertatem. *Diluitur factum Caroli IV.*

Ac primum operae pretium eſt animadvertere, pactum ſolvendi fuiſſe perſonale, ita ut perſonam Caroli Imperatoris non egrederetur, eoque vita functo extingueretur omnis obligatio. Praeterea haec obligatio non fuit contracta nomine jurisdictionis, quam Imperium in Florentinam civitatem obtineret; ſed ad aucupandam gratiam et patrocinium Imperatoris: et ad liberandam Rempublicam a quacumque obligatione, ſi qua forte umquam cauſa incidiſſet, ex qua Florentia, aut ejus ditio, ac territorium elapſis temporibus Imperio fuiſſet obſtricta.

Nemo non videt, has cauſas praetexere neceſſe fuiſſe, ne pecunia ſine cauſa videretur extorta. Nemo autem ignorat, conventiones ac ſolutiones factas, vel ad captandam benevolentiam et patrocinium Principis multo potentioris, vel ad tuendam pacem, vel ad abolendas injurias, vel ad avertenda pericula, et imminentis belli tempeſtatem declinandam, nullam vim habere aut tribuendi, aut confirmandi, aut arguendi aliquam jurisdictionem. Etenim quotidie haec intercedunt inter Principes, qui aequo jure libertatis et imperii potiuntur, ſine ullo detrimento atque imminutione (g) libertatis et majeſtatis: cui, nec proinde quod Imperator ſummum

N 2 Floren-

a) Lib. 4. cap. 81. *Il comune di Firenze, per la ſua coſtanza e ſavia proviſione, rimaſe grande nel coſpetto del l' Imperatore, e privilegiato da lui, e mantenne, accreſcendo ſuo ſtato, la ſua liberta e 'l ſuo onore.*

b) Lib. 11. ad ann. 1355.

c) Hiſtor. Senenſ. p. 12. lib. 6.

d) Lib. 7.

e) Decad 2. lib 10.

f) In Clement. Paſtoralis de ſententiis et re judicat.

g) ALBERT. GENTIL. De Jure belli lib. 3. cap. 16. BODIN. De Republ. lib. 2. cap. 2. BESOLD. in Synopſi Polit. cap. 10. num. 4. et in Diſcurſ. Polit. lib. 4. cap. 1. num. 3. et De Majeſt. in genere cap. 4. ſub num. 9. GROTIUS de Jure belli lib. 1. cap. 3. §. 22. REINKING. De regim. ſecul. Imp. Rom. lib. 1. claſ. 2. cap. 2. num. 212. et ſeqq.

Florentinae Reipublicae Magistratum titulo Vicarii Imperialis ejus vita durante decorare voluerit, detractum esse censendum est, praesertim quum eo usum fuisse nusquam appareat.

Haud aliter jusjurandum praestitum a Florentinis personale fuit, non egrediens personam Caroli Imperatoris, nec transiens ad successores: praeterquamquod non fuit simplex et absolutum, sed restrictum ad ea, quae in concordia continebantur, ad quae referri omnino debebat.

Et ut luculentius patriae libertati prospicerent, protestati sunt legati Florentini coram Caesarea Majestate, se nolle ex eo jurejurando, quibuscumque verbis conceptum foret, neque ex iis, quae in concordia continebantur, ullum praejudicium illatum Reipublicae libertati, aut ullum jus Imperio quaesitum intelligi. Quae protestatio solenniter edita, ab ipso Imperatore non solum fuit admissa, sed etiam comprobata et confirmata, adjecta promissione inviolabilis observantiae.

Florentini cum Carolo IV. foedus inire recusant. Et sane id non diu fuit obscurum; postmodum enim certissimo argumento comprobatum est. Nam et Imperator legatos Florentiam misit flagitatum, ut secum Foedus iniret Respublica Florentina: et Florentini precibus Imperatoris non annuerunt, caussati, se non posse suspicionem injicere Vicecomiti, cum quo pacem conservare (a) volebant: vere tamen voluntati Imperatoris obsecundare detrectarunt, ne copias suas subjicerent imperio ejus, quem in Italiam ductorem exercitus missurus (b) erat.

Neque hujusmodi responsum aegre tulit Imperator: imo rogavit Florentinos, ut, quo tutius iter conficere posset, sibi Romam eunti, atque inde redeunti, socios itineris concederent duos cives, cum militibus ac signis militaribus Reipublicae Florentinae: quod quum a Florentinis impetrasset, summa humanitate gratias egit Reipublicae. Ac fuit Florentiae honorificentissimum, et in omni aevo prorsus inauditum, Imperatorem Florentinis salutem suam et incolumitatem commendare: et depositis propriis, susceptisque signis Reipublicae Florentinae, per Italiam (c) commeare.

Pristinae quoque servatae libertatis satis evidens argumentum praeseferunt foedera, bella, aliique actus summi Imperii a populo Florentino cum ceteris Principibus, deinceps nunquam intermissi, ut videre est in fine N. I. Nec abs re peculiarem meretur animadversionem Foedus, quo vivo adhuc Carolo IV. et Vinceslao ejus filio in Regem Romanorum electo, fidem devinxerunt Florentini cum aliis Tusciae populis, ad tuenda libertatis jura contra Imperatorem, prout apparet ex Relatione Tusciae anno 1376. cujus meminit Lambecius (d).

Facta Roberti II. Robertus quoque Bavariae Dux anno 1401. quo fuit electus Romanorum Rex, Florentiam Legatos misit, ut Florentinos de sua electione certiores faceret: nec tamquam ad subditos imperio misit, sed tamquam *ad suos caros amicos* (e). Imo ut suae benevolentiae monumentum aliquod extaret, quaedam loca non rogatus sponte donavit, promisitque, se donationem confirmaturum, postquam fuisset coronatus Imperator: quod tamen postea non est exequutus, quum Florentini minime curaverint confirmari donationem locorum, quae jam diu legitimo jure possidebant, contenti luculenta amoris ac benevolentiae significatione, quam ipsis Imperator exhibuerat.

Eodem anno, die 3. Septembris, quum Florentini eum rogassent, ut in Italiam veniret, atque ipsis suppetias ferret; et auxiliares copias adjungeret adversus Vicecomites, cum quibus bellum gerebant, foedus cum Oratoribus Florentinis pepigit: in quo tantum abest, ut Imperator quidquam adjecerit, aut expresserit, quod Florentinorum

a) AMMIRAT. dict. lib. 11. vers. *Cesare richiese.*

b) MATTHAEUS VILLAN. lib. 4. cap. 81.

c) AMMIRAT. ubi sup. §. *Perchè furono richieste.* MATT. VILLAN. lib 4. cap. 89.

d) Comment. De Biblioth. Caesar lib. 8. cod. 138. pag. 821. et refert Jo. PHILIP. DATT. in vol. Rer. German in libell. De habilit. tempor. ad Process. in Italiam pag. 587. *Civitates et castra, quae sunt in liga et societate in Tuscia contra Dominum nostrum Civitates Principales. Florentia, Luca, Senae, Perusium, Pistorium, Pratum, Sanctus Miniates, Colle, Vulterra, Sanctus Gemimianus, Civitas Castelli.*

e) AMMIRAT. lib. 16.

tinorum libertatem laederet: ut eam et verbis diserte comprobaverit, et viribus se acerrime, defensurum promiserit. Ibi: Ad gloriam, exaltationem, et sublimitatem „ invictissimi, atque Serenissimi Principis, et metuendissimi Domini Ruperti, etc. „ et ad magnificentiam, *et perpetuam libertatem*, pacem et tranquillitatem civitatis, „ populi, et Communis Florentiae. Et mox haec subsequuntur: In primis, quod „ Dominus Rex teneatur et debeat conservare et manutenere, defendere et tueri „ civitatem et Commune Florentiae *in sua libertate, statu et dominio:* nihil adimere, „ auferre, vel subtrahere quoquo modo; sed *ipsam libertatem, statum, et dominium* „ dictae civitatis & Communis Florentiae, in quantum poterit, ampli re, custodire, „ et salvare, et Communitatem Florentinam non relinquere indefensam. Etsi nullo alio documento libertas Florentina niteretur; tamen hoc solum Imperatoris amplissimum testimonium ad eam probandam satis superque esset.

Et quoniam in laudato foedere adjecta erat conditio, ne residuum pecuniae conventae exigere posset Imperator, nisi postquam hostium fines fuisset transgressus; orta de hac re controversia, utrum conditio extitisset, et tempus persolvendae pecuniae advenisset, magnis contentionibus utrimque fuit agitata (a): nec eam potuit componere Venetorum Respublica, quum reluctaretur „ aegre ferens Imperator, quod „ Florentini eum obligare vellent tam servilibus conditionibus, ut ait Murius (b).

Non minus aperte idipsum pluribus factis comprobavit Fridericus III. Impera- *Facta Friderici III.* tor. Primum enim, quum anno 1452. in Italiam Romam veniret, incredibili magnificentia fuit exceptus a Venetis, aliisque Italiae Principibus (c), qui ea ipsi signa honoris exhibuerunt, quae tanto Principi convenire judicabant. Iisdem amplissimis honoribus eum affecere Florentini, a quibus, quod supremam, nullique obnoxiam potestatem habere intelligeret (d), rogavit, ut in itu redituque sibi liceret per territorium Florentinum transire, *et Literas publicae securitatis seu Salvum Conductum* ab iis postulavit. Iterum anno 1456. voti implendi causa, Romam profecturus, easdem Literas, Pauli II. Pontificis Maximi autoritate interposita, a Florentinis impetravit. Et quum Florentini Pontifici Maximo indulsissent, ut certo definitoque cum comitatu libere ac secure posset per eorum territorium commeare, ipse summa comitate ac benignitate, tum per se, tum per Summum Pontificem Florentinis gratias egit, ut constat ex literis Pontificis, et Imperatoris, quorum exempla in fine subjicientur, N. VI.

Praeterea cum concilium omnium Christiani Orbis Principum pro communi omnium utilitate Ratisbonae anno 1444. indixisset, ut omnes icto foedere coirent ad enervandam Turcarum formidabilem potentiam, ac retundendam barbarorum audaciam, in exitium Christiani nominis protinus erupturam, inter alios Reges et potentissimos Europae Principes, *vocavit* etiam Florentinos. Principes autem et Civitates Imperio subjectas ad concilium *jussit* accedere (e), aut legatos mittere.

Denique vix ullum potest inveniri, aut excogitari firmius ac luculentius argumentum certae opinionis Imperatorum existimantium, Rempublicam Florentinam *Facta Caroli V.* omnino immunem ac liberam esse, amplissima testificatione Caroli V. Imperatoris, expressa in diplomate, quo ad exequendum foedus, antea initum cum Leone X. Summo Pontifice, suos Foederatos Principes, ac praesertim Florentinos, eorumque res omnes, ditionemque, et dominatum ope ac patrocinio se protecturum spondet, simulque confirmat omnia privilegia, quae Ipsis fuerant ab aliis Imperatoribus indulta, et liberas ac nullius jurisdictioni subjectas declarat „ civitatem, terras, castra,

N 3 oppida,

a) Leon. Aretin lib. 12. Tarcagnot. p. 4. lib 57. Ammirat. lib. 16. Messia in vita Robert. II. Blond dec. 2. lib. 10. Podius lib. 3. in fin. S. Antonin. p. 3. tit. 2 . cap. 3. §. 36.

b) Rer. German. lib. 26. ad an. 1400.

c) Leonard. Aretin. lib. 13.

d) Alber. Gentil. De Jur. belli lib. 2. cap. 14. *Solum summus Princeps salvum conductum concedere potest.*

e) Æneas Silvius in Epistol. 127. *Indictum esse aliud Concilium, huc rursus vocantur ex Italia Rex Aragonum, Veneti. Januenses, Florentini, Senenses, Lucani, etc. videbimus quantus erit nostrorum Italorum fervor, Regibus quoque Franciae, Angliae, Bohemiae, Hungariae, Poloniae, Daciae, Sveciae, literae dantur, ut ad Conventum mittant. Principes Alemanniae adesse, Comitates mittere legatos jubentur.*

„ oppida, et loca quaecumque, quae eadem Respublica possidet, et in quibus Im- „ perium, seu Imperator jus aliquod forsan haberet, aut habere praetenderet. Sunt verba Imperatoris in dicto Diplomate relato N. VII.

Huic accedit altera non minus clara ejusdem Imperatoris confessio, in celebri prolixaque, quam, ut se purgaret, Clementi VII. scripsit, Epistola (a) anno 1526. In hac Imperator multarum Italiae civitatum mentionem facit: et eas quidem, quas credebat esse obnoxias Imperio, ita nominat et circumscribit, ut probe intelligatur, eum existimasse suae jurisdictioni esse subjectas. De Republica vero Florentina ita agit, ut nemo dubitare possit, eum judicasse, ipsam fuisse omnino liberam et immunem: seque nullum in eam jus aut autoritatem exercere posse „ Quod quum vestra „ Sanctitas (ait Imperator) summam pecuniae, inter vestram Sanctitatem nostrosque Oratores expressam, suo, *et excelsae Reipublicae dominorum Florentinorum* nomine se soluturum promisisset.

Hanc eamdem opinionem, animo penitus infixam, facto declaravit anno 1528. Quum enim ad ipsum in Hispania degentem coiisent Oratores Galliae, Britanniae, itemque Venetorum, et Florentinorum, nec non etiam Ducis Mediolanensis, ad eorum postulationes (sunt verba Guicciardini historici celeberrimi) (b) „ rispose loro, „ che consulterrebbe la risposta, che avesse a fare; ma esser necessario, che anche „ innanzi alla partita loro gli Oratori suoi fussero in sicuro. E partiti da lui gli Am- „ basciatori, entrarono subito gli Araldi del Re di Francia, e del Re d' Inghilter- „ ra ad intimargli la guerra: la quale avendo accettato con lieto animo, ordinò, „ che gli *Ambasciatori del Re di Francia*, *de' Veneziani*, *e de' Fiorentini* fussero con- „ dotti ad una Villa, lontana trenta miglia dalla Corte, dove fu posto guardia d' „ Arcieri e d' Alabardieri, proibito ogni commercio, e la facoltà dello scrivere. „ *A quello del Duca di Milano, come a suo suddito, fece far comandamento, che non par- „ tisse dalla Corte.*

Non est ambigendum, quae hactenus dicta sunt exuberare, ad evellendam ex hominum mentibus falsam opinionem adversus Florentiae libertatem. Nemo enim adeo tenax conceptae semel opinionis reperiri potest, qui nihili faciat antiquissimam possessionem: ac celeberrimorum historicorum monumentis, maximorum Jurisconsultorum autoritate, omnium fere Europae Principum ac maxime Imperatorum testificatione non moveatur.

Nullum repertum monumentum contra libertatem.

Sed facillime omnium persuaderi deberent ii, quibus tuendi jura Imperii cura demandata est; quum probe sciant, quanta diligentia atque industria anno 1708. et deinceps anno 1715. Aulae Caesareae Cancellarius Baro a Sailern omnia ubicumque accuratissime perquiri curaverit, atque omnia tabularia excuti, tum Mediolani, tum Viennae, tum ubique in Imperio, ubi possent asservari antiqua monimenta, eaque diligentissime pervestigari, quibus infringi posset Reipublicae Florentinae libertas: atque illud etiam non ignorant, in irritum recidisse labores omnes.

Asserta libertas post Principatum.

Quibus probe constitutis, tantum abest, ut tam longaeva possessio libertatis, et immunitatis ab omni extranea jurisdictione, quae infinita Dei beneficentia concessa fuit Reipublicae Florentinae, constituto Principatu fuerit interrupta; quin potius fuerit confirmata.

Enimvero non est diffitendum, quosdam non magni nominis scriptores, aut in rebus gestis pervestigandis, et in constitutione Principatus expendenda minus accuratos, aut avidos aurae popularis, et Germaniae rebus nimis addictos, magnifice exaggerasse jus et autoritatem Caroli V. quam exercuit in constituendo Principatu, proinde ac si propria; non mandata a Florentinis autoritate: et quasi Dominus non quasi Arbiter electus novam Reipublicae formam dedisset, ut res Europae stabili pace componeret.

Verumtamen quicumque clariores, et magis veredicos Historicos (a), non tantum

a) Registrata apud Goldast. in Rational. Constit. Imperial.
b) Lib. 18.
c) Bellai De Reb. Gallic. lib. 3. in fin. Belcari Rer Gallic. lib. 20 n. 30. Maurocen. Histor. Venet. lib. 3. Guicciardin. lib. 19. et 20. Adrian. lib. 1. et 2. Nard. Hist. Flor. lib. 8.

tantum Florentinos, ſed etiam extraneos, conſulet; is certe non dubitabit, Imperatorem in conſtituendo Principatu perſonam geſſiſſe: primum *Principis Foederati*: tum *Amicabilis Compoſitoris* inter Mediceam domum et Rempublicam Florentinam: denique *Arbitri* electi a partibus ad res componendas, et in meliorem ſtatum redigendas. Atque haec omnia, praeter hiſtoricos, Acta ipſa publica domonſtrant, quae nullam admittunt controverſiam.

Primum itaque geſſit perſonam *Principis Foederati* cum Clemente VII. tunc quum auxiliares copias miſit ad Pontificem Maximum, quibus Florentinos invadere, et Florentiam poſſet obſidere, ut ſervaret pacta conventa in foedere inito cum Pontifice Barcinonae 29. Junii 1529. quo ſe adſtrinxerat ad opem ferendam Pontifici, ut familiam Mediceam, ob civiles diſſenſiones patria ejectam, reſtitui, eique priſcos honores et autoritatem, quibus eam ſpoliaverat calamitas temporum, reddi curaret.

Ut autem haec veritas innoteſcat, ſatis eſt proferre verba Foederis, quibus agitur de reſtitutione Familiae Mediceae. Ex illis enim liquido conſtat neque Imperatorem de Republica Florentina egiſſe tamquam Imperio ſubjecta, neque jus ullum in eam ſibi uſurpare voluiſſe; ſed ſolum ſe obligaſſe ad ferendas ſuis copiis Pontifici ſuppetias, ut poſſet cogere Florentinos ad recipiendam familiam Mediceam, eique honores et autoritatem, quam antea obtinebat, reſtituendam. *Expenditur factum Caroli V.*

Idipſum evidenter evincunt pacta conventa inter Pontificem Maximum, et Philibertum de Chalon Arauſienſem Principem, Caeſarei et Pontificii exercitus imperatorem, quum bellum appararet, et jamjam educturus eſſet exercitum in expeditionem: quae quidem acta ſubjicientur in fine N. VIII. et IX. quum a Germanis ſcriptoribus, ea vel ignorantibus, vel ignorare ſimulantibus, ſilentio tranſmittantur.

Ex his clare dignoſcitur primum, quod quum Imperator, non tamquam Florentinorum hoſtis, ſed tamquam Foederatus Pontificis, bello ſe immiſcuerit, non potuit eo animi propoſito arma movere, ut Imperio ſuo ſubjiceret Florentinos, aut in eos jus aliquod adipiſceretur: quum certiſſimum ſit, copias auxiliares non proprio Principi acquirere, ſed ei, cui ſuppetias ferunt, et cujus nomine bellum geritur (a): quod expreſſe legitur conventum in praefatis capitulis. Ibi: *L' Illuſtriſs. Sig.*
„ *Principe conſegnerà di mano in mano a Sua Santità quelle terre, che ſi piglieranno nel Do-*
„ *minio Fiorentino;* con queſto, che gli Governatori ed altri, che Sua Santità vi met-
„ terà al Governo, abbiano ad obbedire al Sig. Principe in tutto quello, che per be-
„ nefizio dell' impreſa ſarà loro comandato.

Praeterea quod onus Pontificis gratia ſuſceptum Reſtituendi (ſunt verba Foede-
„ ris) Mediceam familiam integre non ſolum in bona occupata, ſed in eumdem ſta-
„ tum, dignitatem, atque amplitudinem, et ad gubernium et regimen ejusdem
„ civitatis et Reipublicae, in quibus erant, antequam proxime ejicerentur: repugnabat propoſito, aut ſibi jus aliquod uſurpandi, quod ipſe paulo ante anno 1523. ſe non habere ſpeciali diplomate declaraverat: aut conferendi familiae Mediceae eam juriſdictionem, quam Imperator numquam obtinuerat.

Denique quod quum id principaliter actum fuiſſet in foedere coëundo, ut Summus Pontifex inſtauraret, et ordinaret ſtatum Reipublicae Florentinae, non poterat clementiſſimus, et aequi ſervantiſſimus Imperator, pactorum conventorumque fide non ſervata, Rempublicam evertere, adempta libertate, ſibique novo jure quaeſito.

Foederis conventionibus impletis, rebusque proſpere fluentibus, idem Imperator ſuſcepit perſonam *Amicabilis Compoſitoris*, quum, bello et obſidioni civitatis finem impoſiturus, per Ferdinandum Gonzagam, ſui exercitus Ductorem, pertractavit de pactis conciliandae amicitiae inter Florentinos et familiam Mediceam, ſecundum conventiones Foederis Barcinonenſis, cum Commiſſariis Reipublicae Florentinae, et Bartholomaeo Valorio Procuratore Summi Pontificis, cum libera facultate, atque cum ſpeciali mandato tractandi componendique, ut ipſe Summus Pontifex in Mandato

a) Guill. Vandel ad Grot. De Jur. bell. lib. 3. cap. 6. § 24. n. 1. ibi. *Non absque ratione uſu receptum eſt, ut ſua faciant, quae capiunt ex hoſtibus ſocii: quod intelligendum eſt de rebus mobilibus, non territorio, ſive regionibus, vel oppidis, aut arcibus expugnatis, et in poteſtatem redactis, vel redigendis; haec enim, ut patet ex Hiſtoricis, illi cedere ſolent, qui ſuo nomine bellum gerit.*

dato expresserat. Ibi: Nostro, ac Nepotum nostrorum, totiusque nostrae familiae „ de Medicis, ejusque adhaerentium omnium, pro quibus promittimus de rato, no- „ mine, cum dicta Republica, et iis, qui eam nunc regunt, tractandum, compo- „ nendum, concordandum, etc. ac demum quaecumque ad concordiam et recon- „ ciliationem dictae Reipublicae et illius civium, nobiscum, et cum Nepotibus, fa- „ milia, et adhaerentibus nostris spectantia, *praesertim ea conficiantur, quae in proxi-* „ *mis conventionibus nuper Barcinonae cum Caesarea Majestate factis continentur, ita* „ *agendum.*

Potestas a Florentinis Carolo V. demandata. Hoc autem munus *Compositoris* apparet ex primo articulo praeliminari (a), in quo cautum fuit, ut ad componendam firmam stabilemque pacem, daretur Imperatori facultas et potestas restaurandi formam Reipublicae: ea tamen lege, ut maneret inviolata, et illaesa libertas. Ibi: In primis, che la forma del Governo abbia „ da ordinarsi e stabilirsi dalla Maestà Caesarea fra quattro mesi prossimi avvenire, „ *intendendosi sempre, che sia conservata la libertà.* Non poterat populus Florentinus hanc potestatem Imperatori conferre, nisi eam proprio jure habuisset: nec Imperator eam potestatem suscepisset a populo, si potuisset eam sibi suo jure vindicare. Item non poterat a populo adjici conditio illa *salva libertate*, nisi eatenus libertate potitus fuisset: nec Imperator eam conditionem adjici permisisset, nisi cognovisset populum libertate frui, adeoque etiam summo imperio: Libertas enim sine summo im- „ perio intelligi nequit; ut ait Grotius (b).

Atque adeo verum est, populum habuisse plenissimam potestatem eligendi quemcumque vellet componendae Reipublicae Autorem, ut (quemadmodum memoriae prodit Benedictus Varchius (c) ejus temporis Historicus,) licet tam in Foedere Barcinonensi artic. IV (d) quam in pactis conventis inter Pontificem Maximum et Arausiensem Principem ac Caesareos Legatos convenisset, ut Rempublicam constituere deberet Summus Pontifex (e); tamen Florentini maluerunt conferre hanc potestatem Imperatori, qui se ad res componendas interposuerat, et in eamdem sententiam traxerunt Summum Pontificem: Che il Papa e la Città dettero autorità a „ Cesare, che infra tre mesi dichiarasse, quale avesse ad essere la forma del Governo, „ salva nondimeno la libertà. Ita Guicciardinus (f): et in eamdem sententiam Belcarius (g): Quod Clemens et Florentini Caesari potestatem facerent, ut quam vel- „ let, modo libertas conservaretur, Reipublicae administrandae formam praescriberet. Et Pontius Eleutherius id redigens ad formam legum antiquarum, ac paucis perstringens omnia (h).

„ I. Florentia Germaniae militibus debita hoc bello stipendia persolvito.

„ II. Status e Caesaris arbitrio intra tres menses componitor.

„ III. Libertas sarcta tecta maneto.

„ IV. Injuriarum oblivio esto.

Expenditur laudum Caroli V. His legibus praescriptis, postremo Caesar *Arbitri* personam induit. Adeoque constituta forma atque administratione Reipublicae, *Laudum* promulgavit, quod quidam Germani scriptores, evidenti errore lapsi, vocant *Investituram.*

Decretum Imperatoris signatum fuit die 28. Octobris 1530. intra terminum scilicet quatuor mensium, quo ex conventione partium, ut supra visum est, praescripta erat Carolo V. arbitrandi facultas: et deinde a Joan. Ant. Muscettola Commissario Caesareo Florentiae exhibitum coram Magistratibus, ab eisque receptum, et publico Instrumento homologatum die 6. Julii 1531, de quo gratias egerunt Imperatori, quod Florentinis libertatem conservasset (i).

In hoc

a) Hujusmodi actus conventionis, et compromissi adjicitur in fine n. x.

b) De Jure bell. lib. 1. cap. 3 §. 21. n. 3.

c) Nuper editus Coloniae lib. 11. pag. 428. lib. 12. p. 445.

d) *Foedus Barchinon. art.* IV. *Quam cum sua Majestas summopere cupiat tranquillam et pacatam reddere: eodemque animo videat esse Suam Sanctitatem, facilius id confici posse existimat Reipublicae Florentinae Statu ad arbitrium Suae Sanctitatis constituto.*

e) Artic. ult. Pactorum inter Summ. Pont. et Arausiensem. *E loro versa vice promettono, che i Senesi non innoveranno cosa alcuna nè contro la Chiesa, nè contro lo Stato, che Sua Santità costituirà in Firenze.*

f) Lib. 20.

g) De Reb. Gallic. lib. 20. n. 32.

h) In histor. Rer. Austriacar.

i) Varchi lib. 12. pag. 475.

In hoc Laudo, juxta conventum, novam formam Reipublicae administrationi praescripsit, reditum familiae Mediceae confirmavit, et robur adjecit illius autoritati: quem tamen jam aliquot menses ante Laudi publicationem et homologationem Duci Alexandro, licet absenti, decreta fuit a Supremo Baliae (a) Magistratu, a quo usque sub die 17. Februarii 1530. ab Incarn. seu 1531. a Nativ. data ei fuit facultas, ut omnibus Magistratibus tamquam Praepositus praesideret.

Atque hic opportune est animadvertendum, quod si Imperator eo animo fuisset, ut aut aliquod jus in Florentinos adipisceretur, aut jam sibi quaesitum conservaret, id ei obvium, et factu facillimum fuisset. Nihil enim facilius, quam a novo Principe, et a Florentinis jam terrore perculsis exigere jusjurandum Fidelitatis, aut titulo Investiturae administrationem novo Principi concedere. Sed Carolus V. sciens, se nullum in Rempublicam Florentinam legitimum jus habere, nec novum aliquod jus sibi volens usurpare, his de causis se ad instaurandum Reipublicae statum fuisse compulsum narrat in Laudo, scilicet: tum ratione suae Imperialis dignitatis, et au„ toritatis, ad quam Rerumpublicarum salutem et pacem curare spectat: tum vigo„ re conventionis inter Illustrem Ferdinandum Gonzagam pro nobis intervenientem, „ et ipsam Rempublicam Florentinam firmatae.

Nulla fieri poterat magis expressa ac dilucida declaratio, qua penitus tolleretur omnis suspicio jurisdictionis quoad Imperium, et subjectionis quoad Rempublicam. Atque eo magis, quod haec declaratio emanavit in illo temporis articulo, in quo et victricia arma, et res praeclare gestae, et opportunitas temporis commodissimam praebebat occasionem occupandi, et sibi arrogandi jurisdictionem et autoritatem, si quam jure aliquo potuisset acquirere.

Hac inevitabili ratione adductus, non ex Italia, sed ex Germania magni nominis Jurisconsultus Gaspar (b) Klock Etruriae libertatem asseruit. Postquam enim narravit, ante constitutum in familia Medicea Principatum, civitatem Florentiae semper recusasse jusjurandum Fidelitatis Imperio praestare: et etiam deinceps Principes Mediceos numquam voluisse, quoad jurisdictionem, Superiorem recognoscere Imperatorem, subdit: Attamen quia expressim traditur Fiscum, ut jura Imperii recupera„ ret, missum exigendo Fidelitatis, et obedientiae juramentum Imperio Romano, „ idque civitates Tusciae constanter negasse, inde libertatem omnimodam diven„ ditam conjicitur, idque eo magis, quod actus subsequuti id etiam evincant, quum „ statim Reipublicae forma tunc constituta fuerit, et in Principatum perpetuum con„ versa, Mediceaeque familiae assignatum; quae numquam agnovit Romanum Im„ perium. Subdit deinceps hujus rei certissimum argumentum, deductum a rebus gestis ab Imperatore Carolo V. qui Florentinis vehementer irritatus, quod adversus Imperium multa tentassent, licet eos armis subegisset, tamen ditioni Romani Imperii non subjecit, ut facere debuisset, si Imperium in eos ullam autoritatem habuisset. Ibi: Quod utique fieri debuisset, si superioritas Rodolpho I. fuisset reserva„ ta, facileque Carolus V. Imperator, qui Florentinos debellavit, et ob ingratitu„ dinem et molitionem adversus Imperium coercuit, non refragante contractu per „ ejus antecessorem inito, potuisset Imperio subjicere.

Enim vero si *Principis Foederati*, si *Compositoris*, si *Arbitri* munus in civilibus discordiis, et turbulentis Reipublicae temporibus, ad res componendas alicui Principi semel a Partibus inter se dissentientibus demandatum, et juxta conventionem expletum, in ipsum transferret aliquod jus et jurisdictionem; Pontifices Maximi, multo potiori jure, quam Imperium, possent sibi supremam jurisdictionem in Florentinos arrogare: quum hi saepenumero Rempublicam illis commendaverint, et eorum curae atque arbitrio commiserint, ut sedatis civilibus discordiis, novis Magistratibus institutis, mutata forma administrationis, ipsam instaurarent ac renovarent (c): ut Clementi IV. Gregorio X. Nicolao III. Bonifacio VIII. Benedicto IX. sive XI.

Hoc autem sibi arrogare numquam venit in mentem Summis Pontificibus,

O quum

a) Actus hujusmodi datur in fine n. XI.

b) De contribution. cap. 5. num. 30. vers. *Quamvis autem.*

c) Platina In vita dd. Pontificum. Ricordano Malespina cap. 198. et cap. 205. Leon. Aretin. lib. 2. 3. et 4.

quum probe scirent (quod nemo non intelligit) eorum, quibus a libera civitate demandatur, ut civium dissensiones componant, munus et officium esse, ut pristinam Reipublicae tranquillitatem restituant, et sartam tectam libertatem conservent: non ut eam subigant, et in potestatem redigant, aut in eam sibi jus aliquod usurpent; quum non alia de causa ipsis a populo haec facultas conferatur, quam recuperandae tranquillitatis, et conservandae libertatis, et felicitatis augendae gratia.

Et sane Carolum V. Imperatorem non alia mente munus hoc se suscepisse primum declaravit in Foedere Barcinonensi, ac deinceps apertius etiam professus est in ipso Laudo. Ibi: Quoniam ad perpetuam hujus Reipublicae libertatem superest, ut „ ejusdem Reipublicae regimen, gubernium, et statum disponamus, et instituamus, „ ac pro solito instituto nostro nil aliud, quam ejus et universae Italiae salutem, „ quietem, pacem, et libertatem quaeramus. Et infra: Cupientes ejusdem Rei„ publicae saluti, libertati, quieti, et tranquillitati optime consultum esse, ne res in„ terna ad popularem factionem deveniat, et propterea Dominium, libertas dictae „ Reipublicae periclitari, et opprimi valeat, etc.

Quibus positis, qui hunc actum in contrarium detorquere conantur, non tam detrimentum afferunt populi Florentini libertati, quam turpem notam inurunt nomini invictissimi, et rerum gestarum gloria omni aevo memorandi Imperatoris; ejusque famae foedissimam labem inferre tentant; quod praetextu sedandi ac componendi Rempublicam Florentinam, oppressa ejus libertate, ipsam Imperio subjecerit. Est hoc plane contumeliosum Maximo Imperatori, omnium scriptorum monumentis celebratissimo, qui hanc etiam gloriam ipsi circumdant, quod quum posset armatus Florentiam et nonnullas alias civitates in ditionem redigere, ab hoc religiose abstinuerit (a).

Factum Ducis Alexandri pro libertate. Neque silentio praetereundum est, quod quum post mortem Clementis VII. Dux Alexander Neapoli degeret, ubi cives Florentini extorres a patria tumultuabantur, et res novas adversus ipsum moliebantur, atque ille Caroli V. patrocinium esset imploraturus; Caesarei Ministri, qui Imperii jus et autoritatem amplificare curabant, ipsi suadere conarentur, ut se Principem Imperii Feudatarium declararet, quod honorificentissimis pactis et conditionibus obtinere facile poterat: hac enim arte capeans Caesaris benevolentiam, quamcumque vellet opem, ab eo esset impetraturus; tam perniciosum consilium alacriter et intrepide respuit Alexander (b), conservationi libertatis omnia postponens, et a Guicciardinio prudenter admonitus, caveret, ne consilium illud amplexus, pro securitate periculum sibi conflaret, abalienatis a se etiam amicorum ac benevolorum animis, qui aequo animo laturi non essent, ab eo jus libertatis infringi. Adeo erat infixus omnium civium, tum amicorum, tum inimicorum Domus Mediceae, animus in patriae libertate.

Electio Cosmi Ducis. Electio Cosmi I. nobis aliud Florentinae libertatis argumentum ineluctabile suppeditat. Alexandro vita functo, Senatus (in quo tota eo tempore Reipublicae administrandae autoritas erat collocata, et qui etiam nunc publicis rebus praeest) congregatus, ut de administratione Reipublicae deliberaret, primum ipsam commisit Cardinali Cibo (c): et tandem, post longas aliorum aliter sentientium dissensiones et controversias, convenit, ut Cosmus eligeretur Alexandri successor.

Haec electio liberam Republicae potestatem aperte demonstrat. Quum enim juxta Laudum Caroli V. successio devolveretur ad Julianum, tamquam defuncto proximiorem (Laurentius enim frater natu major succedendi jus amiserat, quum, propter homicidium Ducis, a Republica reus laesae Majestatis fuisset judicatus) Senatus Cosmum ei praetulit, non adhibito ad consilium Imperatore. Et tamen huic electioni, ac reliquis a Senatu decretis, neque Imperator, neque ejus Legatus Bernardus Reatinus, qui tunc Florentiae commorabatur, reclamavit, aut verbo conquestus est, Senatum a conventionibus descivisse, aut alienam sibi autoritatem arrogasse.

Factum

a) Jo. Casa In celebri Oratione ad Carol. V. pro restitutione Placentiae. *Io lascio stare Bologna, Firenze, e Roma, e molti altri stati, de' quali voi per avventura avereste potuto agevolmente in diversi tempi farvi Signore; ma non parendovi di far bene e giustamente, ve ne siete astenuto.*

b) Varchi lib. 14. pag. 576.

c) Videatur actus in fine n. XII.

Factum tam insigne, liberae et nullis legibus adstrictae electionis, memoriae prodiderunt omnes ejus temporis historici (a): et ut nemo id possit ignorare, exstat adhuc perpetuum hujus rei monumentum in celeberrimo Florentiae foro, in basi equestris statuae Cosmi I. aere incisum his literis: Plenis, liberis Senatus Florentini „ suffragiis Dux Patriae renunciatur. Hoc omnis generis homines, omniumque nationum, qui Florentiam peregre proficiscuntur, assidue legunt et contemplantur.

Quae quum ita sint, et in controversiam vocari non possint, merito doctissimi Jurisconsulti, tam Itali, quam Germani, ex quibus etiam nonnulli, qui Imperio Domus Austriacae subjecti fuerunt, mira omnes consensione confirmant, Magnos Etruriae Duces summam ac supremam in Florentina ditione potestatem habere. *Testimonia Jurisconsultorum de libertate post Principatum.*

Arcturus Duck (b): De potestate vero Florentinorum, et Magni Ducis omnes „ consentiunt. Florentinos scilicet, dum Reipublicae jure usi sunt, neminem su„ periorem recognovisse, leges condidisse, omniaque jura regalia superiorum Prin„ cipum juste exercuisse, Jurisconsulti illorum temporum asserunt: paremque po„ testatem jam Magnos Etruriae Duces habere, esse superiores Principes, iisdemque „ omnia majestatis jura competere, Jurisconsulti hujus seculi testantur.

Nicolaus Myler (c): Formale autem Majestatis in eo consistit, ut summa sit, „ et universim imperet. Nihil enim differt Magnus Dux Etruriae a Galliarum et „ Hispaniarum Rege absolutissimo, respectu summae potestatis, nisi ratione mino„ ris ambitus. Reliquae autoritates, quae hoc idem confirmant, in fine referentur **N. XIII.**

Omnes enim obscurantur suprema autoritate, ac publica testificatione Summi Pontificis S. M. Pii V. expressa in ejus Bulla (d). In hac Summus Pontifex titulo Magni Ducis decorat Cosmum I. et post laudes Religionis ac pietatis in defendenda S. Sede, quibus ornat hunc Principem, tandem se ad id concedendum adduci testatur: *Quod Cosmus Medices absoluta potestate, ratione liberi et directi Dominii Florentini, nemini sit subjectus.* *Testimonium Summi Pontificis Pii V.*

Hoc testimonium clarissimum atque firmissimum adhuc evidentius confirmavit idem Summus Pontifex; nam quum Imperatoris Ministri rerum gerendarum cum Summo Pontifice conquesti essent, quod tam honorificum titulum Cosmo decrevisset, respondit, ut referunt Cinius (e) et Adrianus (f): Che ben sapeva, l' Im„ perio non avere autorità alcuna sopra la Città di Firenze, nè da Carlo V. „ nè da altro Imperatore: nè mai essere stata fatta Investitura o al Duca Ales„ sandro de' Medici, o ad altri, come dicevano i Ferraresi; anzi aveva sempre „ mantenuta la sua libertà: e quelche di lei si era fatto, essersi fatto da i Cittadini, „ che ne avevano il potere, come liberi di loro stessi, ed arbitri della loro città: „ e che Carlo V. nella guerra di Firenze nel 1530. non aveva fatto altro, che aju„ tare una parte, e coloro, che ne eran fuori: nè perciò aveva acquistato sopra lei „ autorità alcuna.

Universae Europae nota est, et omnium sermonibus celebrata, et suprema Ecclesiae autoritate confirmata Sanctitas hujus Pontificis: adeoque nemini in mentem venire potest, ipsum vel affectione, vel odio, vel aliqua quacumque cupiditate ad haec decernenda, et asserendam Florentiae libertatem adductum fuisse, quod ejus sanctimoniae maxime repugnaret: cui illud apprime consentaneum est, haec, veritate atque justitia ita exigente, peregisse, eaque, quam a Deo acceperat, autoritate adversus vehementes Maximiliani Imperatoris impugnationes strenue defendisse (g). Quibus non obstantibus, aliisque Imperatoris reclamationibus ad Cosmum delatis minime attentis, titulo Magni Ducis a Summo Pontifice sibi concesso, ex ea die ad

hanc

a) VARCHI lib. 15. ADRIAN. lib. 1. AMMIRAT. lib 31. CINIUS In vita Cosmi I. lib. 1. BACCIUS BALDIN. in eadem vita, pag. 17. 19. et 20.

b) De Autor. Jur. Civ. Rom. lib. 2. cap. 3. n. 2

c) Add. ad RUMELIN. in Bull. aur. Carol. IV. p. 3. disp. 2. n. 4.

d) Data 27. April. 1569. in Bullar. Roman. inter Bullas S. Pii V. n. 88.

e) In vita Cosmi I. lib. 8. HIERONYM. CATEN. In vita Pii V. p. 117.

f) Lib. 21.

g) CATEN. ubi sup. GABUT. De Vita, et Reb. gest Pii V. lib. 3. cap. 16. et lib. 4 cap. 8. Vita Cardinalis Commend. lib. 3. cap. 8.

hanc diem semper usus fuit, et statim a plerisque Europae Regibus ac Principibus pro Magno Etruriae Duce coepit haberi, et honorifice teneri.

Jactis hisce firmissimis fundamentis, quis sperabit ea se posse convellere ac labefactare inanibus ratiunculis, et fallacibus argumentis, et ineptis cavillationibus, deductis ex aliqua Prooemii formula aut clausula Diplomatum, quae pro arbitrio scribentium inferuntur, aut ex aliqua dubia incertaque, et ambigua, et a Partibus non satis animadversa loquendi et exprimendi forma, quemadmodum multi tentarunt, ut rerum ignaris persuaderent, Imperatorem jus habere disponendi de Florentinae ditionis successione?

Est illud omnium legum sanctione, et omnium Jurisconsultorum consensione constitutum, id solum attendendum esse, quod continetur in ipsa dispositione, non quod enuneiatur in narratione, formulisque, aut clausulis, praesertim si adversantur ipsi dispositioni, factisque non controversis (a). Multo minus attendi debet, si ab aliquo Principe enuncietur, ad se pertinere civitatem aliquam quovis titulo ac nomine, si ea non consenserit, seque ejus potestati non subjecerit (b). Nec magis prosunt ad acquirendam jurisdictionem aut verba (c), aut signa honoris ac reverentiae (d), quae Princeps, vel populus ultro exhibet ei, qui in altiore gradu dignitatis collocatus: veluti si claves civitatis offerat: vel ab eo tesseram militarem accipiat: vel alia ejusmodi venerationis signa prodat; habet enim venerationem justam quicquid excellit.

Ut Princeps, aut populus, qui diu pro libero se gessit, alteri subjectus esse probetur, necesse est proferre claras, et nihil dubii relinquentes Investituras, juramenta fidelitatis, homagia, similesque actus, eosque liberos, et non extortos, non amovendi periculi causa gestos, et libere ad effectum perductos, et qui controverti non possint. Ac ne quidem ista sufficiunt, quum populus a multis seculis, aut ab immemorabili tempore fuit in possessione libertatis. Optime in terminis Arcturus Duck Angelus (e): Europae Nationes et Principes, ex imbecillitate et declinatione Ro„ mani Imperii, opportunum tempus asserendae suae libertatis nacti, regna sua „ propria constituerunt, nullius superioris post Deum solum potestati obnoxia, ea„ demque tot seculis ab Imperatorum dominatione libera possederunt, ut si omnes „ alii tituli deessent, hac sola tanti temporis praescriptione, se adversus Romanum „ Imperatorem tueri possint.

Multa alia congeri possent ad evertendam contrariam opinionem; sed ea ultro praetermittimus, quum ex hactenus cumulatis, satis superque constet, tum ante Principatum Rempublicam Florentinam omnino, liberam et immunem fuisse: tum constituto Principatu ad hanc diem Principes, eadem immunitate potitos, nulli fuisse obnoxios: et Carolum V. mutata forma Reipublicae, nec legitime potuisse, nec voluisse pristinam libertatem intervertere.

Testimonium Principum Foederatorum. Hoc ipsum tacite confessi sunt Principes Foederati, in ipso actu, in quo, ut credere par est, necessaria rerum cognitione destituti, idipsum agebant, ut jure Feudi Imperialis Dominium Florentinum ad successorem devolveretur. Ibi: Ut Sta„ tus seu Ducatus a praefatis Magno Duce Etruriae, Parmaeque et Placentiae Du„ ce, modo possessi, futuris in perpetuum retro temporibus, ab omnibus partibus „ contractantibus agnoscantur et habeantur pro indubitatis Sacri Romani Imperii „ Feudis masculinis . . . . Absque ullo tamen damno aut praejudicio, salvaque per „ omnia Principum, qui dictos Ducatus in praesens obtinent, possessione. Si Feudi naturam et conditionem obtinere debet solum quoad successorem, salvo jure praesentium Principum; consequens est, praesentes Principes illud non jure Feudi obtinere.

Quid

a) Knipschild. De Jur. Civit. Imp. lib. 1. cap. 12. n. 84. Castrens. Conf. 313. n. 3. vol. 1. Kloch. De contrib. cap. 2. n. 64. et seqq.

b) Ertl. de Jur. Princip. exercit. 11. Besold. Disc. Polit. 4 cap. 3. n. 2. et de Majest. cap. 9. §. 4. Duck lib. 2. cap. 1. sub n. 3.

c) Castrens. dict. cons. 313. n. 3. Knipschild. ubi sup. n. 87. et seqq.

d) Marta De Jurisdict. p. 1. cap. 27. n. 6. et seqq. Arnis. De Jure Majest. cap. 4. n. 7. §. *Haec tamen, etc.*

e) Ubi sup. cap. 1. §. 4. Late Besold. in tract. Juridico-pol. de appellat. cap 2. §. 8. et de Jurisd. Imp. q. 6. cap. 2. n. 8.

Quid autem magis abhorrens a justitia, a ratione, a legibus, a consuetudine omnium ubique Nationum, quam, non solum sibi arrogare jus disponendi de rebus alienis, sed etiam sine ulla causa libertatem adimere, et liberum Principatum in feudalem commutare? Absit, ut hoc suspicemur de Principibus Foederatis, aequi rectique, et legum, et officiorum omnium observantissimis.

Atque ut hoc luculentius explicetur, animadvertendum est, quantum ab hac destinatione abhorreant acta Caroli V. Imperatoris. Ille, quum per annum obsessa Florentia, victricibus armis adegisset Florentinos ad petendam pacem, et ab iis potestatem accepisset statum Reipublicae ordinandi, mutandi, renovandi, aequum justumque judicavit intactam relinquere libertatem.

Nunc, quum solummodo Domui Regnatrici, ac Serenissimae Electrici Viduae Palatinae, *solenni electione vocatae*, substituendus est successor, qui ex natura sua in omne jus succedere debet, absque eo quod ulla subsit necessitas praesentis administrationis formam pervertendi, nulla accepta a populo vel Principe potestate, agitur de opprimenda libertate sine ulla causa, cum maximo Florentinae ditionis detrimento.

Verumtamen quia ad hoc Reipublicae tam perniciosum consilium fortasse descenderunt, adducti autoritate quorumdam scriptorum, qui falsis interpretationibus, et levibus ac frivolis argumentis Florentinae libertati derogare conati sunt; idcirco eorum pondus et autoritatem expendere necesse est. Licet enim ex iis, quae hactenus exposita sunt, funditus evertantur omnia; tamen singillatim est exponendum, quam ingeniose, ac subtiliter potius, quam solide et ex veritate fuerint excogitata.

Argumenta quae adducuntur ad infringendam libertatem.

Primum igitur falsum esse contendunt, Rodulphum Imperatorem vendidisse libertatem Florentinis, licet hoc a multis, cum Historicis, tum Jurisconsultis memoriae proditum sit; sed hoc etiam admisso, instabili fundamento niti hanc libertatem, quum supremum imperii jus neque vendi, neque alienari, neque praescribi possit.

Praeterea Conringius impugnat, hanc libertatem autoritate Joannis Bodini, et Pauli Jovii.

Bodinus ita scribit (a): Florentinos Legatos ad Caesarem Maximilianum misisse,
„ ut obsequium praestarent, et imperata facerent. Ille acceptis aureorum quadra-
„ ginta millibus, beneficia a Rodulpho indulta confirmavit, ut secundum suae Rei-
„ publicae statum gubernare ac regere sibi precario liceret.

Paulus Jovius, conventiones Foederis Barcinonensis enarrans; subdit (b): Ad-
„ jectum est, ut postquam Florentini, adversus Caesarem, confisi incertae Gallo-
„ rum victoriae, arma tulissent, Majestatis rei facti, libertate, et antiquis superiorum Caesarum concessis immunitatibus severe privarentur.

Mox ad expendendum Laudum Caroli V. progredientes, singula verba cavillantur, et acutis observationibus, et inanibus verborum captionibus Florentinam oppugnant libertatem.

Primum autem deducunt argumentum a privilegiis et immunitatibus, oblatis atque concessis ab Imperatore Florentinae Reipublicae.

Secundum, ex illis Laudi verbis: *Utque in nostra et Romani Imperii fide et devotione* perpetuo maneat.

Tertium, a poena, quam comminatur Imperator Florentinis, si Reipublicae praescriptam administrationem auderent immutare, et Laudum non observare.

Quartum, a Diplomate Caroli V. quo probavit Cosmi electionem, et quidem verbis idoneis, ad demonstrandum, eum Imperio fuisse subjectum: *Magnificum nostrum, et Imperii sacri fidelem.*

Denique Conringius magnifice se jactat, magnoque impetu incurrit in libertatem Principum, Thuani autoritate munitus, qui libro 54. Historiarum refert, Cosmum I. tamquam Feudatarium citatum comparuisse apud Imperatorem in causa Praecedentiae, inter ipsum et Ducem Ferrariae agitata. Et libro 60. supponit, Franciscum pariter, tamquam Feudatarium, ab Imperatore Maximiliano titulum Magni Ducis obtinuisse.

a) De Republ. lib. 1. cap. 9.

b) Histor. lib. 27.

Refelluntur superiora argumenta.

Ut a primo ordiamur. Certe Florentini non inviti concedunt, falsum esse, Rodulphum Imperatorem ipsis vendidisse libertatem. Persuasissimum enim est omnibus, hujusmodi commentum somniasse aliquem scriptorem, cui ceteri deinceps, re non satis accurate pervestigata, fidem et autoritatem praebuerint.

Evertitur Rodulphi venditio.

Quicumque voluerit hujus commenti falsitatem penitus introspicere, perlegat ea, quae omnium primus in hanc rem scripsit, ac memoriae mandavit Vincentius Borghinius, diligentissimus antiquitatis verique investigator (a). Demonstrat hic evidenter, Florentiam fuisse in possessione plenae libertatis, etiam ante commentitiam illam venditionem: et tum antea, tum postea semper strenue ac feliciter se opposuisse conatibus Imperatorum, eorumque in Italia Vicariorum, quotiescumque ab ipsis tentatum fuit, in Florentinam Rempublicam exercere quemcumque actum jurisdictionis. Haec autem omnia probat monumentis Historicorum, nihil dubii relinquentibus. Cum igitur commentitia sit illa venditio, operae pretium non est eam accuratius examinare, neque enim ea venditione nititur Florentinorum libertas.

Ceterum vera ne, an falsa sit, ad rem nostram nihil attinet. Nam quum constet inter omnes, cum ante, tum post erogatam, ut ipsi arbitrantur, Rodulpho pecuniam, Florentinos in possessione omnimodae libertatis fuisse, nec ulli unquam fuisse subjectos, nisi propriis Magistratibus ac Principibus; consequens est, eos non teneri ad allegandum, multoque minus ad probandum ullum titulum suae libertatis.

Nec obstat, quod Imperii jura praescribi et alienari non possint; nam infinitus Autorum numerus contra sententium posset afferri; sed pro omnibus sufficiet autoritas Arcturi Duck, cujus verba supra sunt exposita. Cui addi potest Grotius (b), Lampadius (c), Puffendorffius (d), Petrus Gregorius (e), et ipse Conringius (f), qui hoc fateri cogitur, etiamsi ubique, ad tuenda et amplificanda Imperii jura, nervos omnes et ingenii et mentis intendat.

Grotii verba sunt: Non in omnia, quae olim fuere Populi Romani, Imperator
„ Romanus jus nunc habet. Multa enim ut bello quaesita, ita bello amissa sunt: alia
„ pactionibus: alia derelictione in aliarum gentium aut Regum jus transierunt.
„ Quaedam etiam civitates, olim plane subditae, postea tantum ex parte subditae,
„ aut tantum inaequaliter foederatae esse coeperunt. Nam omnes hi modi, aut
„ amittendi, aut mutandi juris, non minus adversus Imperatorem, quam adversus
„ alios valent.

Lampadii: Excidisse Romanos Imperio iisdem artibus, quibus id acquisierant,
„ quo jure negabimus? Nos igitur, si aequi esse volumus, neque nobis ipsis blan-
„ diri, eodem jure et acquisitas et amissas Provincias non dedignemur.

Puffendorffii: De cetero (quod aliqui jactant vel de omnibus regnis, vel de
„ uno aliquo) bona, coronae inserta, seu, uti loquuntur, incorporata, nulla ra-
„ tione posse alienari, nec longissimum temporis tractum, alteriusque quietam pos-
„ sessionem impedire, quo minus vindicari semper queant; id sine dubio vanum
„ est. Multo magis ineptius, uni alicui regno hujusmodi privilegium assertum ire,
„ ut ipsum quidem aliis sua eripere possit; sed quae semel arripuerit, numquam ul-
„ lo modo ab eodem iterum separari queant.

Conringii: Sane cum injuria liberarum gentium conjunctum, si usucapionem
„ et praescriptionem contra Romanos neges valere, qua Romani in suam utilitatem
„ contra alios populos usi sunt.

Petri Gregorii: Non ex eo quod quis aliquando Imperio subjectus fuerit, nunc
„ quoque de Imperio dicendus; quia idem dici posset de iis, qui nunc Imperii sunt,
„ non ejus esse, sed illorum, quorum antea fuerunt: et sic daretur processus in in-
„ finitum. Nec ulla est ratio, cur Imperatoris Romani Monarchia supra alias de-
„ beat sibi vindicare ea omnia, quae aliquando sibi possedit; ideoque vanum est

„ dicere

a) Par. 2. In peculiari discurs. *Se Firenze ricomprò la libertà da Ridolfo.*

b) De Jure belli lib. 2. cap. 22. §. 13. n. 2.

c) De Republ. Romano-Germ. cap. 21. n. 22. et 23.

c) De Jure Gent. lib. 8. cap. 6. §. 9.

d) De Republ. lib. 6. cap. 13. num. 22. et 23.

e) De finibus Imp. lib. 2. cap. 1. n. 1. §. *In hunc modum* in fin.

„ dicere nostrum, quod ademptum est, quod amisimus, cujus recuperandi non da-
„ tur spes, nec jus, post longas aliorum praescriptas possessiones, jure Gentium
„ et Romano, quo vivitur, resistente. Dominia rerum a possessione coeperunt: et
„ quamdiu quis possidet, tamdiu videtur possessor, et uti potest. At ubi evincitur
„ vel nostra impotentia a potentiori, vel nobis invitis, vel volentibus; jam funda-
„ mentum juris nostri revera esse desinit.

Quod autem attinet ad Bodinum, qui Legatos ad Maximilianum missos ea de causa (quam ipse pro arbitrio confingit) narrat, falsi arguitur, et evincitur autoritatibus ac testibus locupletissimis atque certissimis.

Camillus Gilinus (a), qui ex professo scripsit Historiam expeditionis in Italiam Maximiliani Imperatoris, perspicue evincit, Florentinos nullam habuisse causam implorandi patrocinium Imperatoris, aut supplices eum adeundi. Etenim narrat Historicus, Maximilianum maxime desiderasse, eos ad suam amicitiam adjungere, et cum ipsis inire foedus, quod cum alis Italiae Principibus junxerat. Et hac de causa ad ipsos misit legatos, non vero, ut eorum libertatem imminueret. Ejusmodi causam his verbis Autor exponit: Misit Oratores, qui, repetita priscorum Caesarum me-
„ moria, doceant, quot quantaque ab eis Florentina civitas acceperit. A se quo-
„ que paria expectari posse, si Florentini, relicta Gallorum societate, vetustiores
„ amicos, ac plura et majora de eis meritos, videlicet Germanorum, Imperium ac
„ Caesarem praesentem sequantur. Haud aliter factum hujusmodi narrat Nardius (b).

Guicciardinius (c) quoque Italicorum Historicorum facile Princeps, multo uberius atque distinctius id ipsum refert contra Bodinum; quamquam Conringius, manifesto errore lapsus, hos autores cum Bodino sentire oscitanter affirmet. En verba
„ Guicciardinii: Massimiliano Imperatore mandò due Ambasciatori a Firenze, a signi-
„ ficare, che all' impresa, qual' aveva in animo di fare potentemente contro gl'
„ Infedeli, aveva giudicato necessario passare in Italia per pacificarla, e assicurarla:
„ e per questa cagione ricercava i Fiorentini, che si dichiarassero insieme con gli al-
„ tri Confederati alla difesa d' Italia: e quando pure avessero l' animo diverso da
„ questo, che manifestassero la loro intenzione. Volere per la cagione medesi-
„ ma, e per quello, che si apparteneva all' autorità Imperiale, conoscere la diffe-
„ renza tra loro ed i Pisani: e però desiderare, che per insino a tanto fussero udito
„ da lui le ragioni di tutti, si sospendessero le offese, come era certo, che farebb-
„ bono i Pisani, a i quali aveva comandato il medesimo: affermando con umane
„ parole essere apparato ad amministrare giustizia indifferentemente. Alla quale espo-
„ sizione, commendato con parole onorevoli il proposito di Cesare, e dimostrato
„ di aver fede grandissima nella sua bontà, fu risposto, che per Ambasciatori, qua-
„ li subito manderebbono, farrebbero intendere particolarmente la mente loro.

Dimissis Legatis, Florentini, quamvis annonae difficultate, summaque inopia rei frumentariae premerentur, et ab eis desciverent Italiae Principes, et urgerentur a Ludovico Storzia ad accipiendas ab Imperatore oblatas conditiones; tamen animo interrito deliberarunt, animi sui sensa minime Imperatori communicare, ejusque arbitrium componendi simultates et controversias cum Pisanis repudiare, nisi prius in possessionem ejus civitatis restituerentur. Itaque suis Legatis, quos ad Maximilianum miserunt, mandarunt, ut refert idem Guicciardinius: Di ricordare all' Impe-
„ ratore, che al proposito santissimo, che egli aveva di quietare l' Italia, niuna co-
„ sa era più opportuna, che il restituir subito Pisa a i Fiorentini; perchè da questa
„ radice nascevano tutte le loro deliberazioni, che erano moleste a lui, e a i Con-
„ federati: e perchè Pisa era cagione, che qualcheduno aspirasse all' Imperio d' Ita-
„ lia, e perciò procurasse di tenerla in continui travagli: nè convenire alla sua giu-
„ stizia, che chi era stato spogliato violentemente, fusse, contro la disposizione
„ delle Leggi Imperiali, astretto a far compromesso delle sue ragioni, se prima non
„ era reintegrato nella sua possessione. Concludendo, che avendo da lui questo
„ principio, la Repubblica Fiorentina, non gli restando causa di desiderare altro che
„ la pace con ciascuno, farebbe tutte quelle dichiarazioni, che a lui paressero con-
„ venien-

a) In comment. de expedit Italic. Maximil. Caes. suscepta ann. 1497.

b) Histor. Flor. lib, 2.

c) Lib, 3.

„ venienti: e confidandosi pienamente nella sua giustizia, rimetterebbe in lui piena-„ mente la cognizione delle sue ragioni.

Narrat deinceps Historicus, Imperatorem irritatum constantia Florentinorum, ejus consilia repudiantium, Pisanorum defensionem adversus ipsos suscepisse, et Liburnum occupare tentasse. Sed quum hoc ei minus prospere processisset, re infecta in Germaniam rediisse.

Hujus facti, quo maxime constat, quam invicto fortique animo se gererent Florentini, in tuenda conservandaque libertate, historiam non minus distincte conscripsit Belcarius, Episcopus Metensis (a), et Gerardus de Roò (b), cujus verba, quod natione Germanus sit, et fuerit Bibliothecarius Imperatoris Maximiliani II. in fine referentur N. XIV.

Se minime ex arbitrio atque auctoritate Imperatoris pendere luculenter etiam demonstrarunt Florentini, quum rogati postmodum ab Imperatore, ut foedus secum inirent, id facere detrectarunt, et adversus illum cum Ludovico Galliarum Rege percusserunt. Et quidquid sit de formulis, quibus in pace, postea cum praedicto Rege Blesiis conventa, usus fuerit Imperator, de Florentinis loquens; eae sane, quum, his neque consentientibus neque scientibus, insertae fuerint, non merentur in praejudicium eorum libertatis attendi.

Aliter autem agens cum ipsa Republica Florentina, de ea sensit Imperator. Nam quum Italiam ingressus, aliquam pecuniarum summam a Florentinis expetisset, ut sumptuosius coronam Imperatoris posset accipere, et expeditionem adversus Turcas conficere posset, omnimodam Reipublicae praedictae libertatem diserte agnovit, et confirmavit, non *precario* (c), ut falso comminiscitur Bodinus (si forte de hoc secundo Maximiliani adventu in Italiam intellexit) *sed ultro, et ad firmiorem cautelam*, ut constat ex actu, Veronae celebrato, inter Caesaream Majestatem et Oratores Florentinos, qui erit in fine N. XV. Plurimumque interfuit Reipublicae Florentinae, quae nuper, aegre ferente Imperatore, civitatem Pisanam in suam potestatem redegerat, illum modica pecuniae solutione delinire: omnesque causas, Rege Galliarum id quoque suadente, submovere, quibus pacificus illius status posset perturbari; ut enim ait ad rem Reingbing (d): Princeps in hoc, sui officii memor, patris familias „ officio fungitur, qui nullis parcendo sumptibus, damnum, quod inevitabile est, „ avertit.

Refellitur Jovius. Quod autem attinet ad Jovium, nemo ignorat, quam tenui ac prope nulla sit autoritate, et quam male audiat apud probatos scriptores, qui eum venalem fuisse non ambigunt. Ita sentit Vossius de Historicis Latinis (e), et Justus Lipsius (f) in Politic. in not. Maxime vero fide carent ejus dicta, quum de rebus Florentinae Reipublicae pertractat, in quam summa temeritate ac pene furore identidem invehitur, non alia de causa, quam quod Florentini se ab ejus procacia ac dicacitate redimere noluerunt. Sane Michael Brutus, spectatissimae fidei Historicus, in Praefatione Historiae Florentinae, singillatim ac distincte demonstrat, quam multa, et quam a vero abhorrentia narret hic Autor contra Florentiam, ejusque libertatem.

Verumtamen in tota ejus scriptoris historia nullus est locus, ex quo ejus obtrectatio et malevolentia manifestius deprehendatur, quam ille, quem arripuit Conringius, ad impugnandam Florentiae libertatem. Ad confutandum utrumque, satis est proferre Foedus Barchinonense, ejusque conventiones, in quibus ne verbum quidem de his, quae inconsulte blaterat Jovius.

Expendatur accurate articulus IV. in quo de restituenda familia Medicea actum fuit:

a) Rer. Gallicar. lib. 7. n. 30. et seqq.
b) Annal. Austriacor. lib. 11. ad ann. 1496.
c) Gerard. de Roò lib. 12. sub ann. 1509. Belcar. lib. 11. n. 29. et Guicciardin. lib. 8. *In Verona gli Ambasciatori Fiorentini, fra i quali fu Pietro Guicciardini mio Padre, convennero con l' Imperatore in nome della loro Repubblica, indotti a ciò fare, oltre alle altre ragioni, da' conforti del Re di Francia, di pagargli in breve 40000. Ducati: per la qual promessa ottennero da lui privilegj in forma amplissima della confermazione, così della libertà di Firenze, come del Dominio e Giurisdizione delle Terre e Stati, che tenevano.*
d) De Regim. secul. Rom. Imp. lib. 1. clas. 2. cap. 2. n. 213.
e) Cap. 9. pag. 50.
f) Not. ad cap. 9. lib. 1. Polit.

fuit: et dilucide apparebit, neque in causis disponendi, neque in ipsa dispositione ac conventione: quidquam contineri, quod laedere possit Florentiae libertatem, eique factis aut verbis quidquam detrahat.

Frustra igitur tempus teritur in confutandis dictis Autoris, qui, quum probe noverit, quid eo Foedere contineretur, ut in Florentinos malignitatem suam et livorem effunderet, de suo addidit, quae eorum libertati obesse posse existimavit.

Refelluntur argumenta, petita ex Laudo Caroli V.

Itaque ad ea, quae ingeniose ac subtiliter ex Laudo Caroli V deducuntur, refutanda veniamus. Ea vero adeo frivola sunt, ut satis appareat fuisse exeogitata ab advocato, pecunia conducto a Duce Ferrariae, in celebri causa Praecedentiae cum Cosmo I. Conringius (a) vero, qui omnia colligere destinaverat, quae ad impugnandam Florentiae libertatem conducere videbantur, tanti viri autoritati plurimum detulit.

Enim vero excusandus est Decianus (b), tum quia ad opportunitatem causae scribens, ad id adactus imperio Ducis Ferrariae, omnem lapidem movere debebat, omnia argumenta conquirere, quibus causam strenue defenderet: tum quia ingenue fassus est, se non potuisse Laudum videre, ex quo omnia argumenta depromere necesse erat. Ibi: Non potui exemplum Decreti Caesarei, quo Alexander primo „ constituitur in caput Reipublicae, videre.

Excusandus est etiam, si placet, Conringius, qui non minus ingenue fatetur in Praefatione, se interdum patrii soli amore abreptum fuisse: et a Principibus veniam petit, si quid contra ipsorum sententiam dixerit, patriae affectione seductus: Ut il- „ lo animo sane mea expendantur, Reges, Principes, aliosque, quorum ex senten- „ tia fortassis non omnia disputavi, ea, qua par est submissione rogo obtestorque, „ occulto Germaniae amore abreptum me interdum non negaverim. Quomodo „ enim hoc caverit bonus civis?

Nemo profecto est, qui non intelligat, quae fides sit adhibenda duobus scriptoribus: quorum alter ad causae opportunitatem scripsit, non perspectis documentis, quibus status causae continebatur: alter fatetur, se multa disputasse, abreptum occulto amore patriae, quod bonus civis cavere non potest.

Expenduntur privilegia, a Carolo V. concessa.

Sed ad rem veniamus. Primum fundamentum, quod constituunt adversarii in privilegiis, ab Imperatore concessis Florentinae Reipublicae, nullius momenti est. Etenim omnes fere nationes, pro temporum opportunitate, ut jura juribus adderent, vel aliquo commodo quaestuque adductae, privilegia, ab aliis nationibus vel Principibus oblata, non aegre acceperunt. Quod maxime conveniens erat Florentinis, qui, quum firmamentum et robur Reipublicae constituerent in mercatura, ut ejus amplificationi et utilitati servirent, eamque quantum poterant, longe lateque propagarent, et ubique terrarum tuto et sine metu ac periculo possent eam exercere; non poterant non accipere aequo ac libenti animo tum jura, quae ad Reipublicae tranquillitatem securitatemque conferebant, et belli pericula, mercaturae maxime perniciosa, avertebant. Tum alia privilegia, quae ipsis quocumque modo et quacumque de causa offerebantur, tum ab Imperatoribus, tum ab aliis Europae, Asiaeque, et Africae Principibus (c), ac praesertim a Regibus Aragonum (d), a Carolo VIII. (e), et aliis Regibus Galliarum (f), qui non solum Florentinis, sed etiam Helvetiis, et civitatibus Ansiaticis (g), aliisque populis multa concesserunt: nec

tamen

a) De finibus Imp. lib. 2. cap. 23.

b) In Consil. 19.

c) Penes Leibnitz Cod. Jur. Geot. p. 2. pag 163.

d) Ita in foedere cum Ferdinando inito 16 Jan 1455. *Quod praefati Florentini, et eorum subditi gaudeant, et gaudere debeant omnibus et singulis dignitatibus, praeeminentiis immunitatibus, seu commoditatibus, quibus gaudebant et gaudere poterant ante mensem Novemb. anni 1447. et etiam quibuscumque privilegiis et exemptionibus, ab inde citra eisdem Florentinis a praefata Regia Majestate quomodolibet concessis.*

e) Nardi lib. 1. et ex foedere inito cum d. Rege 5. Nov. 1494. cujus articuli erunt in fine n. XVI.

f) Foedus cum Ludovico XI. die 19 Octob. 1499. Ibi: *S. M. confermerà, e manterrà alla detta Signoria di Firenze tutti li privilegj, a loro concessi per i Re di Francia suoi Predecessori.*

g) Videantur apud Leibnitz Cod. Jur. Gent. p. 2. pag. 172. et seqq.

tamen se propterea jus aliquod, aut jurisdictionem (a) in eos habere, aut iis indultis adipisci se posse umquam existimarunt. Praesertim vero Florentini, qui nihil magis cordi habebant, nec ulla de re accuratius consultabant (b), quam de amplificanda tuendaque mercatura, in qua nervos imperii constituebant, non debebant repudiare ea, quae Carolus V. ipsis in Laudo concedebat: quum illis frui deberent, non in locis, quibus imperabant, in quibus privilegia fuissent omnino supervacanea; sed in territorio Imperii, ut exprimunt ipsa Laudi verba. Ibi: Decernentes ac volentes, „ ut dicta civitas Florentina, ejusque cives, incolae, ac subditi, hujus gratiae et in- „ dulti nostri vigore, ejusque beneficio, omnibus privilegiis, gratiis, exemptioni- „ bus, et libertatibus per totum Romanum Imperium, ac ubique locorum utan- „ tur, fruantur, et gaudeant.

Expenduntur verba in fide et devotione. Quoad secundum argumentum, quod deducunt ex illis verbis: *Utque in fide et devotione, etc.* id alicujus momenti esset, si referretur ad aliquem praecedentem titulum jurisdictionis et imperii; sed quum nullus praecedat ac subsit hujusmodi titulus, ad quem referantur haec verba, utique non possunt referri nisi ad patrocinium et protectionem. Quod ut semper verissimum est, ita in casu nostro est indubitatum; quum in Laudo, in quo verba illa, *fides et devotio*, sunt inserta, exprimatur ab Imperatore solum titulus protectionis, ad quem omnino verba illa sunt referenda. Nam propter protectionem fides a protecto debetur, qui non aliter debet respondere beneficio Patroni, eum protegentis, ut optime observat Jacobus Bernardus Multz (c): *Nomine protectionis etiam debetur fidelitas:* „ item nomine officii, vel alio etiam quovis nomine, quo quis ab altero quid be- „ neficii habet.

Quod haec vera sit et propria eorum verborum significatio, ne longe petamus exempla, demonstrat Foedus, ictum inter Rempublicam Florentinam et Ludovicum Regem Galliarum anno 1499. (d) quum patrocinium Florentinorum suscepit. Ibi artic. I. *Florentinos in fidem Ludovicus reciperet* adversus quosvis, cum „ sexcentis equitibus cataphractis, quatuor peditum millibus tueretur. Florentini „ vicissim Italicas Ludovici ditiones cum quingentis cataphractis equitibus, tribus „ peditum millibus defenderent.

Sed evidentius id apparet ex foedere percusso inter eumdem Carolum V. Imperatorem, et Clementem VII. Pontificem Maximum anno 1525. (e) Ibi in ar- „ tic. 3. Romani Pontificatus Florentinaeque Reipublicae, privatim Mediceam fa- „ miliam in ea, qua Florentia pollet auctoritate, *in fidem recipito.* His verbis nihil aliud contineri, quam protectionem et patrocinium, Imperator ipse declaravit in epistola, subsequenti anno scripta ad Summum Pontificem, de qua supra mentionem fecimus, in qua exprobrat Pontifici Maximo beneficium, quod laudato artic. 3. continetur his verbis: Novit etiam, nos ita suarum rerum, suae- „ que familiae, *ac ipsius Reipublicae Florentinae protectionem ac patrocinium suscepisse.*

Nemo non novit, titulum protectionis nullam tribuere jurisdictionem (f). Quis ergo sanae mentis audeat affirmare, hoc titulo jurisdictionem acquiri; quando et is, qui offert protectionem, et is, qui eam recipit, expresse paciscuntur, ut maneat intacta libertas: quemadmodum in conventione Florentinorum cum Carolo V. expresse cautum fuit?

Non

a) Menoch. Cons. 2. n. 106. Suarez De Legib. lib. 8. cap. 9. n. 4. 5. 6. ubi dat exemplum. *Si Dux Florentiae concederet privilegium Lusitanis, ut transeundo per suam ditionem, non solvant pedagia, vel quid simile.*

b) Praeter alia quamplurima monimenta, satis id evincitur ex articulis sacri Foederis anni 1526. qui erunt in fine n XVII.

c) De Majest. Imper. p. 3. cap. 6. §. 1. n. 14.

d) Ex Belcar. lib. 28. n. 8. et Guicciardin. lib. 4.

e) Idem Belcar. lib. 18. n. 27. et Guicciardin. lib. 16.

f) Albert. Gentil. de Jur. Bell. lib. 3. cap. 16. Besold. De Majest. in gener. cap. 4. num. 9. et disc. Polit. 4. in fin. MagER. De Advoc. armat. cap. 17. n. 19. Petr. Gregor. De Republ. lib. 11. cap. 11. n. 6. Reinking. De Regim. secul. Rom. Imp. lib. 1. clas. 5. cap. 49. n. 48.

Non amittit majestatem qui se alterius patrocinio committit: ut egregie docet harum rerum Praeceptor excellentissimus, Ennigius Arnisaeus (a): Qua de „ causa, ut tandem concludamus, illi, qui in alterius patrocinium, et defen„ sionem se tradunt, majestatem suam ex eo non amittunt, modo id faciant, *sal„ vo ipsorum jure.* Non consistit enim majestas in externo honore, nec in am„ plitudine provinciarum; sed in potentia libera in subditos, quae quamdiu „ per clientelam non dimittitur, tamdiu majestatem amisisse dicendi non sunt.

Etenim, quoad hoc, publica protectio a privata minime differt (b). Quemadmodum enim privata protectio non adimit libertatem personae privatae, nec ullam jurisdictionem patronus in clientem suum nanciscitur; ita publica protectio non laedit libertatem Reipublicae, nec ullam tribuit jurisdictionem patrono. Hic enim solummodo est protectionis effectus, ut protector teneatur defendere ac tueri protectum, et injurias ipsi illatas propulsare. Protectus autem, in periculis ac necessitatibus, possit opem ac praesidium protectoris implorare, pro quibus ipse vicissim fidem et devotionem praestare teneatur. Quocirca dici non potest, populum, qui est in *fide* ac *devotione* alterius, plane liberum non esse, si ille solam protectionem suscepit: ut docent Grotius (c), Besoldus, et alii magni nominis scriptores.

Non possunt haec exemplo magis perspicuo confirmari, quam eo, quod nobis opportune suppeditat Foedus Barchinonense, de quo toties mentionem fecimus. In artic. XIV. ejus Foederis, Imperator declarat, se suscepisse protectionem Summi Pontificis, familiae Mediceae, et bonorum etc. Et vicissim Pontifex, se suscipere protectionem ac defensionem Imperatoris, ejusque bonorum, jurium, et praerogativarum. Quemadmodum igitur esset absurdum opinari, propter mutuam hanc protectionem, et Pontificem Imperatoris, et vicissim Imperatorem Pontificis jurisdictioni fuisse subjectum; ita pariter absurdum est existimare, Florentinos Imperatori fuisse subjectos, eo quod nacti fuerint ejus protectionem.

Refellitur argumentum petitum a poena adjecta in Laudo.

Non minus clare diluitur argumentum, desumptum a poena, imposita Florentinis, Laudum non observantibus. Etenim quis ignorat, quod quum Summus Pontifex et Respublica Florentina facultatem dedissent Imperatori reformandae administrationis, necesse erat, eum aliqua poena coercere contumaces, et novam formam amplecti, et novis institutis se subjicere detrectantes? Alioqui frustra fuisset, atque omnino inutilis instauratio Reipublicae; quare translatitium est, poenam imponi illis, qui Arbitro, decernenti aliquid in Laudo, obtemperare recusant.

Non aliter se gessit Gregorius X. Pontifex Maximus, electus Arbiter simultatum, quae inter Guelphos et Ghibellinos intercedebant, tunc, quum praesentibus Balduino Imperatore Constantinopolis, et Carolo Rege Neapolitano, Florentiae Laudum promulgavit (d). Atque etiam inter Principes aeque potentes invaluit, quod est etiam juri consentaneum, ut possit alter alterum cogere ad obtemperandum conventionibus: eumque etiam punire possit, si pertinaciter reluctetur, ut notat Grotius (e): Jus habet socius cogendi socium, ut stet legibus „ foederis, atque etiam puniendi, ni steterit. Sed hoc quoque inaequali foederi „ proprium non est. Idem enim locum habet in foedere aequali.

 Quan-

a) De Jur. Majest. cap. 4. n. 9. §. *Qua de causa.*

b) GROTIUS lib. 1. cap. 3. §. 21. n. 3. ALBERT. GENTIL. ubi sup. MAULIUS De Homag. tit. 11. num. 16. et 13.

c) Ubi sup. BESOLD. De Majest. in gener. cap. 4. n. 9. MAGBR. cap. 2. n. 181. et seq. ARNIS. De Jur. Majest. cap. 4. n. 2. et 8.

e) LEONARD. ARETIN. lib. 3. RICORDAN. MALASPINA cap. 198. AMMIRAT. lib. 3. S. ANTONIN. Archiep. p. 3. tit. 20. cap 2. §. 1. 2. et 3.

f) De Jur. Belli lib. 3. cap. 3. §. 21. num. 5. Late MULTZ. De Majest. Imp. p. 3. cap. 10. §. 13. num. 10.

Expen-ditur approbatio Cosmi Primi. Quantum autem attinet ad Diploma, ab Imperatore concessum Cosmo I. post ejus electionem, exploratum est, Cosmum, ut supra demonstratum est, electum fuisse liberis Senatus Florentini suffragiis: et ab eodem Senatu possessionem et Dominium accepisse: et etiam multo ante Diploma Rempublicam libere administrasse: multa instaurasse: non pauca magni momenti constituisse: et cum exteris Principibus publicis de rebus pertractasse. Quapropter ipse Jovius (a), Florentinis eorumque libertati infensissimus, in Senatu, seu, ut ille ait, in Quadraginta octo viris fuisse supremam potestatem ordinandae Reipublicae, et Principem constituendi, fatetur: Erant, inquit, hi Quadraginta octo viri, apud quos „ numeratis suffragiis componendi civitatis status, declarandique Principis summa erat potestas.

Ergo Cosmus non indigebat approbatione Caroli V. quum electus fuisset a Senatu, penes quem summa potestas erat: et ab eo accepisset administrationem, quam nullo se opponente exercebat. Sed quum eum circumvallerent turbulentissimi cives, patria extorres, et familiae Mediceae hostes acerrimi, qui nihil intentatum relinquebant, ut patriae tranquillitatem perturbarent, ipsumque a gubernaculis Reipublicae exturbarent; e re esse existimavit, rebus suis et civium quieti consulere, impetrato Caroli V. patrocinio. Idcirco flagitavit ab Imperatore, ut declararet electionem non fuisse contrariam iis, quae in Laudo statuebantur, eamque tamquam Laudo consentaneam approbaret: hoc novo validoque praesidio sperans retundere inimicorum audaciam.

Ceterum Cosmus adeo fuit libertatis conservandae tenax, ut quum illi, qui res Imperatoris administrabant, jurisdictionis amplificandae gratia, offerrent ipsi Investituram Florentiae, pro se suisque descendentibus; illam repudiaverit ejus Legatus Averardus Serristorius, ut ipse literis ad Cosmum missis significavit: et distincte atque explicate narrat Adrianus Historicus (a), cujus haec sunt verba: „ Ma di questo, rispose Averardo Serristori, Ambasciatore di Cosimo, che non „ ve n' era bisogno; non chiedendo in nome di Cosimo, che la confermazio- „ ne del fatto, e i privilegj, che aveva usato il Duca Alessandro. E quindi si „ conobbe assai chiaramente, che l' animo di quei Ministri era di acquistare „ per questo fatto qualche ragione sopra lo Stato e Comune di Firenze, e dar- „ lo in Feudo a Cosimo. Il che presentitosi, aveva il Principe apertamente „ vietato accettarsi; perciocchè la Città era stata sempre libera, nè aveva coll' „ Imperatore, o con altri Principi grandi, avuta mai servitù alcuna speciale, „ onde maggioranza da loro vi si dovesse sopra ricognoscere. Contentaronsi „ finalmente di quello era dovere: e dissero, che quella Maestà non voleva so- „ pra lo Stato di Firenze acquistar ragione alcuna: che il Privilegio si farebbe „ in quella forma, che loro piacesse: e così il fecero solennemente spedire, e „ bollare.

Nec minus aperte demonstravit, quam religiosus esset custos suae libertatis, suaeque majestatis acer propugnator, quum Senensi Provincia, propriis iisque immensis sumtibus et copiis auxiliariis, in potestatem Imperatoris redacta, eaque in feudum Ligium accepta, ut libertas Dominii Florentini conservaretur illaesa, eique expresse ac plene consuleretur; voluit in conventione, a Ferdinando II. Imperatore et ejus successoribus confirmata, et in praestando juramento, inseri expressam hanc declarationem. „ Hoc insuper expresse declarato, et in unaquaque „ parte hujus concessionis et capitulationis repetito, quod, sub nomine praedicti „ Feudi Ligii, contineantur dumtaxat bona et jura civitatis et ditionis Senensis, „ Portusque Ferrarii, Illustrissimo Duci elargita: super aliis vero statibus et bo- „ nis dicti Illustrissimi Ducis ejusque successorum nulla jurisdictio, nullumque jus „ modo aliquo Regiae ac Caesareae Majestati quaeratur, quaesitumque esse intelli- „ gatur ratione dictae infeudationis.

Quibus

a) Lib. 38.
b) Lib. 2. Idemque scribit Cinius in Vita Cosmi I. lib. 2.

Quibus probe constitutis, quam futile est confugere ad illa verba *Nostrum et Sacri Romani Imperii fidelem?* quasi haec duo verba possint evertere libertatem Florentiae, et abolere tot documenta, nihil dubii relinquentia. Ut enim optime animadvertit Philippus Knipschild (a), haec verba usu recepta sunt in omnibus publicis instrumentis, in quibus agitur de Populis et Principibus quantumvis liberis, qui alterius Principis protectioni se dediderunt: atque adeo communi Jurisconsultorum autoritate comprobatum est, hanc demonstrationem nullam tribuere jurisdictionem. Solent quoque Protectores clientes suos nominare fideles: huius„ modi tamen appellatio jurisdictionem non arguit, nec protecto ullam subjectio„ nem vel jurisdictionem importat.

Denique quod Cosmus I. in causa Praecedentiae cum Duce Ferrariae fuerit citatus, et comparuerit tamquam Feudatarius, est merum putum Thuani commentum, cui, praeter Conringium, nemo fidem praestare potuisset, ejusque autoritate, tamquam certissimo testimonio, niti. *Refellitur Thuanus.*

Quicumque voluerit rei veritatem investigare, adeat Adrianum, Cinium (b), aliosque ejus temporis scriptores: qui referunt, Cosmum, et per literas et per Legatos, ad Imperatorem protestatum fuisse, et aperte declarasse, se quidem libenter ipsi dirimendam hanc controversiam, tamquam Arbitro, commissurum, non vero tamquam Judici competenti.

Accedit huic expressae declarationi, quod Cosmus acerrime defendit jus suum, eo potissimum fundamento innixus, quod Respublica Florentina nulli unquam fuisset obnoxia, et gauderet antiquissima libertate: cui consequens erat, se quoque nulli subjectum esse, et supremum imperium obtinere, ut, praeter modo laudatos Historicos, narrat Bernardus Zieritz Brandenburgensis (c): et ostendunt consultationes, in ea causa pervulgatae, Universitatis Genuensis, Perusinae, Romanae, Bononiensis, Mediolanensis, Lovaniensis, Ingolstadiensis, et aliorum celeberrimorum Jurisconsultorum cujuscumque nationis, qui Cosmi causam tutati sunt. Imo, quod magis est, hoc ipsum aperte declarant illi ipsi, qui causam Ducis Ferrariae tuebantur: qui, etsi magno conatu studioque conniterentur ad infringenda jura Cosmi I. tamen ausi non sunt in controversiam vocare, an Cosmus plena perfectaque immunitate, ab omni aliena jurisdictione, frueretur; sed eo confugerunt, dignitatem ac praecedentiae jus non esse metiendum ab antiqua absolutaque Reipublicae libertate, sed ab eo tempore, quo Alexander fuerat Princeps constitutus: de industria considerantes personam Principis, Rempublicam regentis, non ipsius Reipublicae dignitatem ac majestatem, cujus personam Princeps repraesentat et gerit (d), contra omnia juris publici praecepta. Nam licet administrationis forma saepe mutetur: et autoritas Magistratuum modo crescat, modo minuatur, modo deficiat: et a gubernaculis Reipublicae saepe dejiciantur qui ea diu tractarunt; tamen Respublica perpetua est, et manet semper eadem, retinetque suam dignitatem et amplitudinem, a quocumque regatur, et quomodocumque administretur, dum ne extraneis subjiciatur, et absolutam suam potestatem amittat: ut docent Albericus

a) KNIPSCHILD. De jur. Civ. Imp. lib. 1. cap. 12. num. 84. in fin. MAGER. De Advoc. Armat. cap. 10. n. 478.

b) In Vita Cosmi I. lib. 7.

c) In tract. de Princip. inter ipsos dignit. praerogat.

d) DANIEL OTTO In Disp. de Majest. thes. 23. KIRICHN. De Republ. disp. 2. thes. 3. BESOLD. Polit. lib. 1. cap. 2. num. 2. *Est autem Majestas in Imperio, atque omni dignitate populi Romani, vel alterius superiorem non habentis, in qua jus totius civitatis consistit: eaque in realem, seu Imperii, quae in constituenda, et personalem, quae in administranda seu gubernanda Republica consistit, dividi videtur.*

Gentilis (a), et Grotius (b), hujus juris peritissimi: et de Republica Florentina scripserunt Modestinus Pistorius, Joannettus, et Hermannus Hermes celeberrimi Professores, et ille in Lipsiensi Academia, alter in Ingolstadiensi Primarius, et a Consiliis Maximiliani II. Imperatoris: postremus in Academia Salisburgensi, quorum verba referentur in fine N. XVIII.

Dominus Wicquefortius (c), qui hujus causae statum penitus introspexerat (ejus enim cognitionem hauserat ab ipsis fontibus, ad quos digitum et nos intendimus) distincte et explicate factum narrat, et accuratissime describit: Que la Republique de Florence avoit tousjours precedé le Duc de Ferrare, et qu' elle ne pouvoit perdre le rang, qu' elle avoit tousjours tenu, sous pretexte qu' elle estoit gouvernée par un Prince Souverain. Le Duc de Ferrare soustenoit, que Florence ayant perdu sa premiere dignité d' ancienne Republique, pour devenir nouvelle Principauté, il n' estoit plus question que de l' ancienneté entre les deux Duches. Le Pape Pie V. offrit de regler le different; mais le Duc de Ferrare soustenoit, que c' estoit a l' Empereur à le decider. Le Duc de Florence y acquiesça, et y fit aussy consentir le Pape; mais à condition, que l' Empereur n' y feroit que l' office d' Arbitre, et non de Juge. Maximilian II. s' en fascha, et comme les deux Princes estoient ses alliès fort proches, il n' avoit pas grand' envie de prononcer, et tiroit l' affaire en longueur.

Non possumus animum inducere, Cosmum, eo quod acquieverit, idcirco tamquam Feudatarium habendum esse, ut somniavit Thuanus. Imo et illud falsum prorsus est, eum fuisse citatum. Quod etsi daremus; tamen citatio non proinde probaret jurisdictionem. Recte ad rem nostram Knipschild (d), ex sententia omnium Jurisconsultorum: Quando *cum protestatione de non consentiendo, vel per prorogationem, vel per compromissum amicabile*, vel etiam per errorem quis compareat, per talem comparitionem jurisdictio non probatur.

Confutatur iterum Thuanus. Eadem animi alacritate dicimus Thuanum turpiter lapsum, cum scripsit, Franciscum Mediceum ab Imperatore titulum Magni Ducis obtinuisse, tamquam Imperii Feudatarium. In Diplomate enim Imperatoris, quo Franciscus hoc honorifico titulo insignitur, nullum est verbum, nulla vel longe petita conjectura, unde argui possit, eum habitum fuisse tamquam Feudatarium, Quod cum facile posset investigare Conringius, maluit errare cum Thuano, quam suae existimationi consulere, et amori patriae veritatem anteponere.

Itaque hoc objectum ejusdem generis est, ac alia duo superiora, petita ex electione Cosmi, et ex citatione ejusdem ad Imperatorem; nam et hoc, non aliter atque illa, retorquetur in adversarios. Primum nobis viam stravit ad explorandum probandumque, eos, qui res Imperatoris administrabant, quum Investituram Cosmo obtulissent, veritate perspecta, ab incoepto destitisse: atque hoc facto dilucide comprobasse, Cosmum Imperio subjectum non esse.

Secundum diluimus, ostendendo, Cosmum repudiasse Imperatorem, tamquam Judicem: non diffitentem, eidem Imperatori, tamquam Arbitro, causam committere. Quod quum admiserit Imperator, nullum se in Cosmum habere jurisdictionem aperte declaravit.

Hoc

a) De Jur. Belli lib. 1. cap. 23. de regnor. eversion. ad fin.

b) De Jur. Belli lib. 2. cap. 16. n. 16. et cap. 9. §. 8. *Neque refert, quomodo gubernetur populus, regio ne, an plurium, an multitudinis Imperio. Idem enim est populus Romanus sub Regibus, sub Consulibus, sub Imperatoribus: imo, etiamsi plenissimo jure regnetur, populus idem erit, qui antea erat, cum sui esset juris, dum Rex ei praefit ut caput ipsius populi, non ut caput alterius populi.*

c) Livr. 1. De l' Ambas. et de ses fonct. sect. 2. §. Aujourd' hui il n'y a plus, etc.

d) In d. cap. 12. n. 53.

Hoc quoque nobis ansam praebuit expendendi, quid hac de re narrent historici: quid Diplomate ipso contineatur; atque omnia pro Francisco stare, ejusque causam fovere animadverrimus. Primum enim copiose narrat Natalis Comes Venetus, eum, qui pro Francisco hujusmodi negotium obibat apud Imperatorem, duo diplomatum exempla repudiasse; quod ea liberae atque absolutae Magni Ducis potestati minus convenire arbitrabatur: et tandem obtinuisse, ut omnes illae clausulae rejicerentur, quae tum in diplomate Alexandri, tum in diplomate Cosmi I. fuerant insertae, ut refert Historicus (a): Quare, *captata prius* (Imperator) *a suo Consilio informatione de debilitate suarum praetentionum, contentus fuit „ tacite cedere:* quod sane fit aperte, quum non posuerit in privilegio illa verba et clausulas, quae erant in Decretis Alexandri et Cosmi: et in quibus putabatur tota vis jurium consistere, quae censebat habere in Principatum Florentinum: quae tanta contentione requirebantur prius a Caesare in omnibus his tribus Decretis, quaeque proponebantur a Magno Duce, tamquam unica via conveniendi cum Maximiliano. *Expenditur factum Francisci Magni Ducis.*

Praeterea ipsum Diploma hoc idem luculenter evincit; est enim adeo favorabile et gratiosum, ut vix ullum amplius et honorificentius possit excogitari. Ac ne quid difficultatis injicerent usitatae clausulae, quae in omnibus diplomatibus adjici solent; cautum est, generaliter ad favorem Magni Ducis esse interpretanda. Ibi: *Utque omnia et singula interpretentur in favorem dictae familiae Mediceae.*

Nec propterea quod Caesareae quoque concessionis solicitus fuerit Franciscus, jura sibi Pontificia benignitate jam delata, vel minus valida, vel parum profutura putavit: quinimo titulum Magni Ducis ab Imperatore se eo animo accepturum declaravit, fuitque protestatus, ut jura juribus adderet, non vero Apostolicam concessionem vel minimum laederet, aut juri ex ea quaesito derogaret, ut ex actu adjecto in fine N. XIX.

Verum enimvero nemo sanae mentis existimabit, privilegium, quo dignitas alicujus Principis augetur, et honorifico titulo insignitur, eum, qui decoratur, deprimere, et subjicere potestati concedentis. Et quis ignorat, hos titulos et a Summis Pontificibus et ab Imperatoribus concedi Principibus minime subjectis, nec ullam in eos, hoc honore impetrato, jurisdictionem adipisci (b)? Nec credere par est, quemquam esse adeo rationis expertem, ut arbitretur, Pontifices et Imperatores sibi subjicere eos, quos honoribus impertiunt.

Sane si hoc admiserimus, multo justius hoc jus sibi possent arrogare Summi Pontifices. Etenim omnium primus Pius V. Pontifex Maximus hoc titulo atque hac amplificatione dignitatis decoravit Cosmum I. nec expetentem, nec appetentem, ut non semel Imperatori Regique Hispaniarum significavit idem Summus Pontifex (c). Idque maxime consentaneum est animi magnitudini hujus Principis, qui solebat crebris usurpare sermonibus, dedecere Supremum Principem ambitiose titulos expetere, quibus supra alios evehi videatur; quum ipsi pro omnibus titulis esse debeat propria potentia. Atque hujus veritatis luculentissimi sunt testes Besoldus (d), et Carpzovius (e), Germani scriptores.

Et sane quod Imperator non ea mente titulum honorificentissimum Magni Ducis concesserit Francisco, ut ejus summam potestatem minueret; sed ut augeret

a) Lib. 26.
b) Lampad. De Imp. Rom. Germ. tom. 2. tit. 1. in Verbo *Potestas.* Besold. De Jur. Majest. cap. 3. n. 5.
c) Caraccia in Vita Pii V cap. 16. Baccius Baldin. in Vita Cosmi I. pag. 74. Natal. Comes lib 21.
d) In disc. Polit. de Monarch. cap. 3. et in synopsi. Polit. cap. 3. num. 6.
e) De Leg. Reg. cap. 13. sect. 1. n. 26.

geret dignitatem, ipse perspicue patefecit, qui paulo post Magni Ducis Oratoribus primum locum post Venetos tribuit. Quod et Imperator Leopoldus confirmavit, qui regios honores ac praerogativas Magnis Etruriae Ducibus concessit (a).

Exploditur argumentum, petitum a contributionibus nuper solutis.

Nullius momenti pariter est argumentum, quod postremo nobis occurrit examinandum, quodque nuper excogitavit Pfeffingerius (b), ad confirmanda levissima Conringii argumenta, quae hactenus expendimus. Ait autem nuperrimus hic Autor, ingentes pecuniae summas, quae ab anno 1692. Imperatori solutae sunt, ad sustinendum Italiae bellum, esse perspicuam probationem jurisdictionis Imperii in Florentinam Rempublicam. Hac enim contributione restitutum fuisse pristinum jus Imperio, quod quorumdam Imperatorum incuria fuerat intermissum. Atque hoc unico argumento Florentiae libertatem funditus everti arbitratur.

Huic argumento satis pro nobis jamdiu responderunt duo celeberrimi scriptores Germani, Martinus Magerius (c), et Klock de Contributionibus (d), cujus hic verba subjicere operae pretium est: Idque vel maxime in Collectis obtiner, quod hae per impressionem, metuque, vel vi extortae, et ita violentum initium habere praesumantur etc. quemadmodum generaliter quando inferior vel imbecillior patitur in rem suam aliquid committi a potentiore, id potius reverentia aut familiaritate toleratum, aut certe magis per superioris impressionem, quam ex inferioris aut minus potentis voluntaria liberalitate et spontaneo assensu factum perpensumque censetur. Ut proinde potentiori ejusmodi imbecillioris taciturnitas et patientia, neque in possessorio quidquam proficiat. Cujus traditionis ratio est, quod timens non affirmat, quando sine periculo reclamare non potest: unde injusta ac violenta, quam collectantes allegare possunt, possessio, vel quasi, tueri illos non potest.

Verum eo confugere non est necesse, quum facta ipsa liquido demonstrent, quam nullo fundamento innitatur nuperi scriptoris argumentum. Falsissimum enim est, quod Imperator subsidia petierit nomine Florentiae, ejusque ditionis ac territorii: quum ea solummodo flagitaverit nomine feudorum, quorum Magnus Etruriae Dux capit Investituram. Primus omnium Caraffa, copiarum Imperatoris in Italia Ductor (nam hoc antea fuerat inauditum) expostulavit a Magno Duce, ut ad alendum exercitum pecuniam contribueret, ratione feudorum, quae in Etruria possidebat: et singulorum feudorum breviarium, et praescriptam cuique summam pecuniae ipsi communicavit, quam in fine subjiciemus N. XXI.

Ex ea autem apparebit, quod, licet ille in describendis feudis, in quibusdam eorum erraverit; inter ea tamen neque Florentiam neque ejus dominium collocavit. Atque adeo constat evidenter, nomine Florentiae nihil quidquam fuisse petitum et persolutum.

Protestationes emissae super contributionum excessu.

Et quoniam in dicta pecuniae summa modum excedere videbatur, Magnus Etruriae Dux obtestans fidem atque justitiam Leopoldi Imperatoris, se immodice gravari contestatus est: atque hanc reclamationem repetiit quotiescumque ad contribuendam aliquam pecuniae summam adactus fuit: nec umquam acquievit aut destitit reclamare, tum Mediolani, tum Viennae, tum specialius Francofurti apud Serenissimum Collegium Electorum, congregatorum causa eligendi Imperatoris nunc feliciter imperantis: apud quos solennem emisit reclamationem (e) de immoderatis contributionibus, habita ratione feudorum, quae a Magno Duce possidentur: quam justam existimasse visi sunt, ut satis certam conjecturam exhibet

Conclu-

a) Videantur Acta in fine n. XX.

b) In addit. ad WITRIAR. Instit. Imp. tom. 2. tit. 5. litt. A.

c) De Advocat Armat. cap. 10. num. 190.

d) l. c. Contribution. cap. 7. num. 40.

e) Videatur actus in fine n XXII.

Conclusum Electorale die 17. Sept. 1711. super generali contributionum negocio, et praesertim specialis expostulatio, quam futuro Imperatori per literas fieri decreverunt, ut quantum attinet ad contributiones, occasione belli Imperii exigendas a Magno Etruriae Duce, certa regula justusque modus ratione feudorum, quae ab eo possidentur, praescriberetur. Sed electo Clementissimo Imperatore, huic expostulationi faciendae locum non reliquit firma fiducia, quam Magnus Dux in summa ejus clementia et singulari justitia habuit: cui benigne annuit Imperator, quantitatem contributionum interea minuere non dedignatus, certamque in spem adducens Magnum Ducem, se opportune definiturum ac praescripturum, qnantum ad belli subsidium praestare teneatur, pro modo et ratione feudorum, quorum ab Imperatore et Imperio accipit Investituram.

Hujusmodi facta publica, ac nemini non nota, tum evertunt ac destruunt omne fundamentum nuperi Autoris: tum maxime probant, libertatem Florentinae ditionis ex ipsa confessione petentium atque exigentium hasce contributiones.

Ac profecto ad tollendam aut minuendam libertatem, certi ac legitimi tituli atque Investiturae requiruntur. Ineptum autem est afferre conjecturas et argumenta, plena futilitatis ac summae levitatis: aut formulam et verborum ambiguorum captiones: aut actus dubios incertosque, vel extortos ac violentos, aut quid simile: quae nihil detrahunt cujusquam libertati, juxta celebre Rescriptum Justiniani Imperatoris (a).

Maxime vero si illis opponatur antiquissima possessio libertatis, quam tot seculis intactam illibatamque Respublica conservavit: si eadem libertas contestata fuerit, et literis monimentisque consignata omnis aevi scriptorum, et tum celeberrimorum Historicorum, tum praestantissimorum Jurisconsultorum autoritate confirmata: corroborata continuis actibus propriis supremae et nulli addictae potestatis: Maximorum totius Europae Principum confessione comprobata, necnon etiam ipsorum Imperatorum, maxime vero Caroli V. Imperatoris, cum ante, tum post constitutum Principatum, et Ferdinandi II. in probanda Senarum Investitura. Quis insuperabilem horum vim, pondus, autoritatem cum frivolis illis conferre audebit? Quis certam, sinceramque veritatem fucatae falsitati non anteponet? Profecto quicumque ad normam justitiae et aequitatis expendet momenta rationum, antiquissimam Florentinorum libertatem violare, nefas esse existimabit.

Hoc autem omnino sperandum est a Clementissimo, Potentissimo, atque Invictissimo Imperatore Carolo VI. qui semper potentiam justitia temperavit: et cujus immortalem gloriam, non solum magnitudine rerum gestarum, sed etiam excellentissimarum virtutum splendore quaesitam, nulla unquam inobscurabit oblivio. Eoque certius in hanc certissimam spem nos adducit Epistola (b), ejus mandato scripta ab Excellentissimo Domino Comite a Sinzendorff, Supremo Aulae Caesareae Cancellario, ad Gl. Mem. Serenissimnm Joan. Willelmum Electorem Palatinum, tunc cum Francofurti degeret, coronandus Imperator: qua, distinguendo Feuda ab aliis Statibus Magni Ducis Etruriae, significatur eidem Electori, Imperatorem non denegaturum Investituram Feudorum Serenissimae Electrici Palatinae, eo *quod persuasum haberet, Magnum Etruriae Ducem de aliis Statibus, suae ditioni subjectis, minime dispositurum, neque permissurum disponi favore inimicorum Caesareae Majestatis, et Serenissimae Domus*

Q *Austria-*

a) In l. *Cum scimus*, Cod. de Agricol. et censit. Ibi: *Melius est etenim in hujusmodi difficultatibus ex pluribus capitulis conditiones ostendi, et non solis confessionibus neque scripturis homines forte liberos ad deteriorem detrahi fortunam. Sin autem est scriptura, et post scripturam confessio seu depositio (sine vi et necessitate tamen) intervenerit; tunc ex utroque genere obligationis, id est tam scripturae, quam confessionis, vel depositionis, talem eum esse credendum, qualem se et scripsit, et inter acta deposuit.*

b) Erit in fine n. XXIII.

Austriacae nec contra ejusdem convenientias. Atque in Sententia perseverasse dignoscitur ex alia Epistola ipsius Domini Comitis a Sintzendorff, Primi Caesarei Plenipotentiarii, aliis de causis ad Ablegatum Magni Ducis Etruriae scripta Trajecti ad Rhenum 15. Aprilis 1713.

Non minus valitura rationum momenta, et recti justique amorem in animis Foederatorum Principum plane confidimus, quod, veritate perspecta, mutare consilium, praeclarum ipsis erit et gloriosum. Et quum pax, cujus conciliandae desiderio flagrant ad communem tranquillitatem, multo firmior ac jucundior futura sit, si Serenissimi Magni Ducis jus et Dominii Florentini leges et instituta fundamentalia serventur: nec aliter justa fieri possit dispositio; sperandum pariter est, Foederatos Principes fore contentos, se non modicum percepisse fructum suae solicitudinis, pro communi bono susceptae, quod Serenissimus Magnus Dux, et Serenissimus Magnus Princeps, eodem pacis amore ducti, eorum votis obsecundent, illaesa tamen atque incolumi libertate antiquissima Civitatis et Dominii Florentini: pro quo neque Imperio, neque alteri cuiquam Principi fuit unquam praestitum Homagium, aut a quoquam accepta Investitura.

ACTA

ACTA PVBLICA
ET
SCRIPTORVM
AVTORITATES.

Pag. 6. 13. 19.

Foedera, Induciae et Paces initae a Republica Florentina cum aliis Civitatibus et Principibus Europae. Ex Originalibus, quae adhuc supersunt in Archivio Palatii, omissis quamplurimis, et praesertim iis, quorum meminerunt Historici. N. L

FOEDUS inter Florentinos et Pisanos contra quoscumque. Ann.	1171.
Foedus inter Florentinos et Lucenses.	1184.
Foedus inter Florentinos et plerasque Tusciae civitates, pro earum communi securitate et libertate tuenda, contra Imperatorem et quoscunque alios Principes.	1197.
Foedus inter Florentinos, et Volaterranos.	1199.
Foedus inter Florentinos, et Senenses.	1201.
Foedus inter Florentinos, et Monte-Politianenses.	1205.
Foedus inter Florentinos, et Pistorienses,	1228.
Foedus inter Florentinos, et Urbevetanos, contra Senenses.	1251.
Foedus inter Florentinos, et Commune Lucanum, et Sancti Miniatis, pro mutua defensione eorum libertatis.	
Foedus inter Florentinos, Januenses, et Lucenses, contra Pisanos.	
Pax inter Florentinos, Lucenses, Pistorienses, et Pratenses.	1253.
Foedus inter Florentinos, et Arretinos.	1254.
Foedus inter Florentinos, et Senenses.	1255.
Pax inter Florentinos, et Pisanos.	1256.
Foedus inter Florentinos, et Arretinos.	1258.
Pax inter Florentinos, et Pisanos.	1270.
Pax inter Florentinos, et Pisanos.	1276.
Pax inter Florentinos Factionis Guelfae et Ghibellinae, mediante Cardinale Latino, Summi Pontificis Legato.	1280.
Pax inter Florentinos, et Arretinos.	1314.
Induciae cum Ruperto Rege Neapolis.	1333.
Pax inter Florentinos, Arretinos, et alios.	1337.
Pax inter Rempublicam Florentinam, et Venetam.	1338.
Foedus inter Florentinos, Bononienses, et Marchionem Estensem.	1341.
Foedus inter Florentinos et Perusinos, contra Ducem Mediolani.	1351.
Pax inter Florentinos et Perusinos, cum Duce Mediolani.	1353.
Foedus inter Florentinos, Arretinos, Perusinos, et alios.	1360.
Foedus cum Summo Pontifice, Arretinis, aliisque Tusciae populis.	1371.
Foedus inter Florentinos, Bononienses, et Perusinos cum aliis Tusciae populis.	1379.
Pax cum Republica Januensi.	1382.
Pax cum Duce Mediolani.	1385.
Foedus inter Florentinos, Perusinos, et Paduae Dominum.	1390.
Foedus inter Florentinos, et Galliarum Regem.	1396.
Foedus cum Venetis, contra Ducem Mediolani.	1398.
Foedus cum Summo Pontifice.	1402.
Pax cum Ladislao Rege.	1408.
Pax cum eodem Rege Ladislao.	1414.

Pax cum Republica Januensi.
Pax inter Florentinos, Venetos, et Sabaudiae Ducem ex una, et Ducem Mediolani ex alia parte. 1427.
Pax inter Florentinos et Venetos ex una, et Ducem Mediolani ex alia Parte, Ferrariae stipulata. 1428.
Foedus inter Florentinos, Venetos, et Senenses. 1430.
Alia Pax inter Florentinos et Venetos ex una, et Ducem Mediolani ex alia parte. 1433.
Foedus inter Florentinos, et Venetos, contra Januenses. 1436.
Pax inter Florentinos, Venetos, et Ducem Mediolani. 1441.
Foedus inter Florentinos, et Venetos, contra Bononienses. 1443.
Foedus inter Florentinos, Venetos, et Lucenses. 1444.
Pax inter Florentinos, Venetos, et Ducem Mediolani, et Regem Aragonum, et Sabaudiae Ducem. 1454.
Foedus inter praedictos Principes, et Summum Pontificem Nicolaum V.
Poedus inter Florentinos, Regem Ferdinandum, et Ducem Mediolani. 1466.
Fax cum Summo Pontifice, Venetis, et Duce Mediolani. 1468.
Foedus inter Florentinos, Regem Ferdinandum, et Ducem Mediolani. 1470.
Foedus inter Venetos, Ducem Mediolani et Florentinos. 1474.
Foedus inter Florentinos, et Perusinos. 1477.
Foedus inter Florentinos, et Januenses.
Foedus cum Ludovico XI. Rege Galliarum. 1478.
Pax inter Summum Pontificem Sixtum IV. Ducem Mediolani, Regem Ferdinandum, et Florentinos. 1479.
Foedus successive initum inter praedictos Principes cum Florentinis. 1480.
Pax et Foedus inter praedictos Principes adversus Venetos. 1482.
Foedus inter Florentinos, et Lucenses.
Pax et Foedus cum Senensibus. 1483.
Foedus cum Perusinis. 1487.
Induciae cum Januensibus. 1489.
Foedus inter Florentinos, et Carolum VIII. Galliarum Regem. 1494.
Foedus Reipublicae Florentinae cum Ludovico XII. Galliarum Rege. 1499.
Foedus cum Rege Aragonum. 1502.
Foedus cum Ludovico Galliarum Rege.
Foedus inter Florentinos, et Lucenses. 1508.
Foedus inter Rempublicam Florentinam, et Reges Galliarum et Hispaniarum.
Foedus cum Ludovico XII. Rege Galliarum. 1512.
Foedus cum Summo Pontifice, et Rege Hispaniarum.
Foedus cum Summo Pontifice, Galliarum Rege, Venetisque, contra Carolum V. 1526.
Foedus cum Galliarum Rege, Venetis, aliisque Principibus 1527.
Foedus cum Summo Pontifice, Galliarum Rege, Rege Angliae, Venetis, et Duce Mediolani.

Pag. 8.

N. II. *Verba Sigonii, Ricordani Malaspinae, et Ammirati.*

SIGONIUS De Regn. Ital. lib. 9. ad ann. 1081.

Itaque (Henricus) magnis delectibus habitis, primo vere castra ex Germania movit, atque in Italiam transgressus, quicumque in itinere detractarent, obtrivit. Unius dumtaxat Florentiae, quam per Aprilem obsedit, insignis est oppugnatio.

RICORDAN. MALASPIN. Cronic. cap. 68.

Negli anni di Christo 1081. tornando il sopraddetto Arrigo Imperadore da Siena, per andarsene in Lombardia, trovando, che i Fiorentini teneano la parte della Chiesa col detto Papa Gregorio, e non voleano ubbidire al detto Arrigo, nè aprirgli le porti

le porti, puose l' oste a Firenze da quella parte, che oggi si chiama Cafaggio, e infino all' Arno fece grande guasto alla detta Città, e stettevi più tempo: dievvi grande battaglie; e niente vi potè fare; perocchè la città era molto forte, e bene murata, e tutti i cittadini erano ben d' accordo: e si levò da oste a modo di sconfitto: e ciò nel detto Anno del mese di Luglio.

AMMIRAT. Histor Flor. lib. 1. adaucto ad ann. 1081.

Conobbero i Fiorentini per isperienza, essere stata cosa utilissima il non aver più indugiato a fortificar la lor Città; poichè non volendo dichiararsi nimici di Santa Chiesa, furono costretti a serrar le porte all' Imperadore. Enrigo sdegnato, che dove quasi tutte l' altre principali città d' Italia avean fatto cenni d' ubbidirlo, Firenze non piegasse il collo a' suoi comandamenti, vedendo non potere aver la Città che per forza, le pose intorno l' assedio, portando ferma credenza, che a lungo andare non potessero i Fiorentini alle sue forze far resistenza. Attendatosi per questo dalla parte di tramontana, ove oggi è la Chiesa de' Servi, che in quel tempo vi si diceva a Cafaggio, di quivi stendendosi infino ad Arno, incominciò del mese d' Aprile a strignere grandemente la città. Niuna forte muraglia è sì malagevole ad espugnare, come è la concordia; perchè i Fiorentini ben d' accordo insieme, e dalla gagliardezza delle nuove mura ajutati, non solo ardirono d' opporsi alla potenza degli Oltramontani, ma in breve tempo preso animo di uscirli contro, e combatterli, per sì fatta maniera perseguitarono a travagliar il campo Imperiale, che Enrico quasi di viva forza fu costretto il 21. giorno di Luglio di scior l' assedio, e partendosi quasi in rotta e con perdita di molti suoi arnesi, lasciar liberi i Fiorentini dalle sue molestie.

Pag. 8.

Verba Naucleri, Messiae, Blondi, et Krantzii. N. III.

NAUCLERUS vol. 2. Generat. 42.

Reparavit brevi exercitum Fridericus, et in Placentinos duxit. Domito oppido, et Monasterio Sanctae Columbae destructo, relinquens filium Henricum in Lombardia, transit in Etruriam. Forolivienses enim, Ariminenses, et Urbinates cum Marchia sibi favebant. Perusini, Assisii, Tudertini Pontificem sequebantur. *Praeter Florentinos*, tota Etruria Friderico parebat: *qui accedens Florentiam, non est intromissus; sed postulanti concessum, ut Guelphis ejectis, rerum Ghibellini in Florentia potirentur.*

PETRUS MESSIA in Vita Friderici II.

Ando Federigo II. in Toscana, con pensiero di aver Firenze, che gli era nemica; ma perchè i suoi partigiani non erano in molta stima, ed egli era poco temuto, *la Città nol volle ricevere;* ma vennero a partito, che scacceребbero fuora i Guelfi, suoi nemici: di che rimase contento l' Imperatore.

BLONDUS decad. 2. lib. 7.

Marchia omnis Anconitana Friderico parebat, cum Perusini, Assisienses, Tudertinique partes Pontificis sequerentur: Etruriaque pariter tota, *praeter unicam Urbem Florentinam*, Friderico magis subdita esse videbatur, quam ejus partes amicitiamque fovere. Quare hoc in suo adventu nihil ardentius curavit, quam exulcerati animi apud Parmam urbem dolorem iracundiamque in Florentinorum excidio evomere, nec multi fecisset Gibellinae partis suae injuriam in publico accipiendam exterminio, quod illam nimis Guelphae noverat inferiorem: *idque cum utrique parti pariter notum, accedens ad moenia portasque Florentiae Fridericus, non est in Urbem admissus*, sed postulanti concessum, ut Guelphis ejectis, Gibellina Factio rerum in Florentia potiretur.

KRANTZIUS in Histor. Rer. German. lib. 9. cap. 18.

Inde movens in Etruriam Henricum filium cum parte copiarum in Faventiam Ravennatumque Provinciam, ut in potestate fideque contineret, ire disposuit jussitque.

ſitque. Etruria pene tota, praeter Florentiam, magis illi ſubdita, quam Partes ſequi videbatur. Marchia quoque Anconitana illi parebat: Nihil autem magis cupiebat, quam exulcerati apud Parmam animi dolorem in opprimenda Florentia evomere: nec magis feciſſet Gibellinam partem ſuam una perdere, quae longe minor erat: *quod ſciens pars utraque, portas illi clauſit;* oppugnans tamen obtinuit, ut pars ſua, ejectis adverſariis, dominaretur.

Pag. 13.

N. IV. *Catalogus Variorum Autorum ex omni Nationum genere, qui ab antiquis usque temporibus libertatem Florentinae Reipublicae teſtati ſunt.*

BARTOLVS, licet jurium Imperii acerrimus propugnator, agnovit Florentiae libertatem, ſcribens in l. *Hoſtes. D. de Capt. et poſtlim. reverſ.* poſſe dari legitimum bellum inter Imperatorem et Florentinos. Idem probat eamdem legem explicando, ſubdens n. 16. *Quando eſt contentio inter duas Civitates, quae ſuperiorem non recognoſcunt, ut inter Civitatem Florentiae et Piſarum.* Et clarius in l. *Infamem D. de publ. Judic.* n. 14. *Cum quaelibet Civitas Italiae hodie, praecipue in Tuſcia, Dominum non recognoſcat, in ſe ipſa habet liberum populum, et habet merum Imperium in ſe ipſa, et tantam poteſtatem habet in populo, quantam Imperator in Univerſo.*

ACCVRSIVS in Gloſs. ad l. *Non dubito. D. de Capt. et poſtl. revers.* loquens de populis liberis, ita ſe habet: *Liber populus eſt is, qui nullius alterius populi jurisdictioni eſt ſubjectus.* Et exemplum ponit in Florentinis: *Item alii liberi homines, ut Florentini, et alii.*

BALDVS Perufinus in l. *Cum in longi D. de praeſcript. long. temp.* n. 11. ita ſcribit de libertate Florentiae. *Vnaquaeque Civitas, quae habet ſuum regimen proprium et diſtinctum, nec ſupponitur de facto jurisdictioni ſuperioris, dicitur Provincia: exemplum pone in Florentia.*

ANGELVS Perufinus idem confirmat *in l. fin. in fin. C. de praeſcript. long. temp.*

JO. BAPTISTA CACCIALVPVS a S. Severino in repetitione *ad l. Imperium D. de Jurisd. omn. Judic.* n. 18. idem dicit ac Autores ſupra allegati, et addit n. 35. *Sextodecimo quaero, an contra Imperium praeſcribatur libertas. Dicit hic Baldus, vide in d. l. competit, et in cap. bonae. Angel. in l. 1. 8. Cod. ne rei dom. vel templ. dicit quod ſic. Vnde ſecundum ipſum defendi poſſunt praeſcriptione Civitas Florentiae et ſimiles, quae praetendunt libertatem.*

GASPAR VELASCVS Hiſpanus in repetitione ad eamdem *l. Imperium* n. 93. poſt recenſitam ſeriem Majorum Principum, et ſignanter Imperatoris, et Regum Franciae, Caſtiliae, Aragonum, Portugalliae, aliorumque ab Imperio independentium, ita proſequitur: *Quaelibet Civitas, quae ſuperiorem non recognoſcit, ut Florentia, habet tantum imperium et tantam poteſtatem in ſuo territorio, quantam Imperator in Vniverſo.*

PETRVS ANCHARANVS, Bononienſis eadem profert in conſ. 87. n. 2. *Non credo in dubium revocari, Florentiae videlicet, quod dictum Commune, in Regia Civitate et omnimoda jurisdictione, tenet locum Imperatoris.* Et in conſ. 164. n. 1. loquens de populo Florentino. *Tenet locum Principis, et ſupremam jurisdictionem exercet per ſuos Rectores et Officiales.* Et in conſ. 271. n. 3. *Cum populus et Commune Florentinum teneat locum Principis, et omnes Officiales ab ipſo populo jurisdictionem recipiant.*

LVDOVICVS PONTANVS, alias ROMANVS, in conſ. 456. n. 1. *Haec Capitula et conventa inter Communitatem Florentinam, quae ſuperiorem non recognoſcit, et ejusdem Poteſtatem, vim legis habent et conſtitutionis.*

RAPHAEL FVLGOSIVS Placentinus in conſ. 149. n. 1. *Ceterae Civitates, quae de facto ſuperiorem non recognoſcunt, et quae vices Principis tenent, quales ſunt inter ceteras partes Tuſciae magnificae Communitates Florentina et Senenſis.*

BAR-

BARTHOLOMÆVS SOCCINVS Senior, Senensis in Conf. 81. n. 3. lib. 1. *Et maxime cum Civitas Florentiae, cum suo comitatu et districtu, non recognoscat superiorem, et praescripserit merum et mixtum Imperium.*

NICOLAVS VBALDVS Perusinus in suo Tractatu de Success. ab intest. p. 1. n. 8. postquam meminit de Principibus, superiorem non recognoscentibus, Regibus scilicet Galliarum, Hispaniarum, Angliae, subdit: *Isti ergo, qui non recognoscunt superiorem, possunt legitimare spurios: et idem etiam possunt Civitates Italiae, praesertim in Tuscia, quae non recognoscunt superiorem, ut est Civitas Florentina, et Perusina, et similes.*

JASON MAYNVS Mediolanensis in Conf. 70. n. 7. *Hinc est, quod Communitas Florentiae, in regimine Civitatis et omnimoda jurisdictione, locum tenet Imperatoris.*

PETRVS PHILIPPVS CORNEVS Perusinus in Conf. 55. n. 18. vol. 2. *Civitas Florentiae habet jura Principis: et constat, quod hostes Principis perdunt ea, quae sunt Juris Civilis: et ita hostes Civitatis, quae habet jura Principis, perdunt jura Civilia in proprio territorio.*

FRANCISCVS PVRPVRATVS de Pinarolo, Senator et Praeses in Parlamento Sabaudiae in l. 1. D. de Off. ejus, cui mand. n. 329. *Advertendum non esse verum, quamlibet Italiae Civitatem habere vim Provinciae, sed solum eas, quae habent propriam jurisdictionem, ita ut alterius jurisdictioni non subjiciantur, ut Florentia.*

FRANCISCVS CVRTIVS Junior Papiensis in Tract. de Feudis. p. 2. de Feud. Laicor. n. 8. *Sic etiam dicimus, quod Communitates Venetiarum et Florentiae, quae non recognoscunt Imperium, et pari modo ceteri Principes, tenent locum supremi Principis, et omnia possunt, quae potest supremus Imperator in toto Orbe.*

ALBERTVS BRVNVS Astensis in Tract. quod stantib. mascul. art. 13. n. 17. ad finem idem affirmat.

JACOBVS MENOCHIVS, Papiensis, et Praeses Camerae Mediolani, consultus a Ferdinando Imperatore in celebri causa Finariensi, ita de Florentia loquitur in suo responso super art. 1. n. 66. *Haec ergo Florentina Civitas nec Imperatorem, nec alterum olim recognoscebat superiorem, ut ex nostris affirmant Soccin. Sen. Jason Felin. Purpur. Dec. Castald. et recte sentiunt mea sententia.*

ANTONIVS COSCIVS SENENSIS, explicando illa verba *Florentina potestas*, cap. ult. de Judic. in cap. 1. de Offi. delegat. n. 38. tom. 2. suarum repetitionum Canonicarum, sentit, quod Innoc. III. in illis verbis *non loquitur de Potestatibus et Officialibus, sed de Dominis non recognoscentibus, superiorem ex praescriptione, vel ex privilegio, vel de facto, ut sunt Civitates Tusciae, ideo loquatur in feminino: potestas Florentina, tunc florentissima, et sapientissima, ut ipsam appellat Fulgos. cons. 235. et vindicaverat jura Imperii.*

CAESAR CONTARDVS Januensis in suo Comment in l. unicam C. de moment. possess. limit. 22. n. 17. affirmat. quod Florentia non recognoscit superiorem, sicut Civitas Venetiarum: *Idem dicendum de Republica Florentina, quae superiorem non recognoscit.*

CORSET. De potest. reg. p. ult. qu. 101. n. 68. idem dicit.

CARDINALIS TVSCVS Mutinensis in pluribus locis suarum Conclusionum concl. 402. litt. L. et signanter n. 7. *Civitas Florentina, prout Rex Franciae, de Facto non recognoscit Imperium: et si vellet, posset de facto non servare leges Imperiales. n. 8. Civitas Florentina habet tantam autoritatem in territorio suo, quantam Imperator in Universo.*

ANTONIVS GABRIEL Romanus lib. 5. suarum Conclusionum concl. 3. n. 15. *Hodie Civitas Florentina in suo Dominio nec Imperatorem, nec alium in Dominum recognoscit.*

ROLANDVS A VALLE Casalensis lib. 2. conf. 91. n. 6. *Hinc est, quod dispositio leg. Bene a Zenone, Cod. De quadrien. praescript. secundum communem sententiam locum habet etiam in Civitatibus non recognoscentibus superiorem, ut in Republica Florentina. Idemque tradit in suo Tract. de Jur. Dot. cap. 3. n. 4.*

Pag. 14.

N. V. *Literae Henrici VII. et Florentinorum, quarum tenor reperitur quoque impressus inter collectas Principum et Illustrium Virorum, editas Amstelodami ann. 1644. pag. 164. et 165.*

HENRICVS Lucemburgensis Imperator Florentinis.

QVamprimum me in Romanum Imperatorem Germani Principes delegerunt: Clemensque Pontifex id ratum firmumque habuit; nihil mihi potius fuit, quam in Italiam, primo quoque tempore, Imperatoriam Coronam accepturus, contendere. Sed cum prope omnia profectioni opportuna mihi constituta essent, id a vobis petendum mihi in primis fuerat, *ut copiis nostris ad Vrbem vestram tutus accessus aditusque praeberetur*. Nam ea rerum mearum ratio est, *ut Vrbis vestrae hospitio juvandus prorsus sim*. Illud etiam a vobis *pro mutua benevolentia peto*, ut Aretinos longiori bello incursionibusque vexari diutius ne patiamini. Quod autem ad pacandam Etruriam pertinet, ita operam auxiliumque meum vobis polliceor, *ut me Reipublicae vestrae amicum fautoremque plane judicetis. Valete.*

FLORENTINI Henrico Lucemburgensi Imperatori.

Frequenti Senatu recitatae sunt literae tuae, quae nobis perquam molestae fuerunt. Numquam enim nobis probari potuit Imperator, qui in Italiam barbaras copias ducat; quum id potius cavendum, ut hanc nobilissimam Provinciam a Barbarorum manibus vindicaret. Quod Aretinos foveas, vide, quam praeclare agas; quum meminisse possis, eos Guelphos cives suos innoxios ejecisse, qui ope tua patriae in primis restitui debebant. Nihil est, quod nunc de recipiendo exercitu tuo in urbem decernamus: id tum demum curabimus, cum copias tuas adventare cognoscemus. Studium tuum pacandae Etruriae tantum probamus, quantum id universae Italiae maximo usui futurum speramus. Tuae vero erga nos propensae voluntati immortales gratias agimus. Vale.

Pag. 21.

N. VI. *Literae Summi Pontificis Pauli II. et Friderici III. Imperatoris ad Florentinos, ex Archivio Palatii.*

LITERAE PAVLI II.

DILECTI FILII, etc. Scripsit ad nos carissimus in Christo filius noster Federicus Romanorum Imperator semper Augustus: quemadmodum ex voto Romam propediem accedere cupit. *Vt autem tutius iter suum existat, petit salvum conductum per vestras terras et liberum concedi, cum praesertim ejus adventus cum paucis futurus sit.* Is nos rogavit, ut apud vos, pro eo et ejus societate, quae non transcendet numerum tercentorum equorum, procuraremus. Igitur hortamur in Dominum devotionem vestram (sperat enim ille, hanc nostram exhortationem maximi momenti fore in rem suam) in hujusmodi suo desiderio satisfacere liberaliter velitis. In hoc nedum Majestati suae, verum et nobis gratissimam rem feceritis. Dat. Romae die xx. Januarii 1466.

LITERAE FRIDERICI III.

REdditae sunt nobis literae vestrae *salvi conductus*, quas amantissimo Domino nostro D. Paulo Summo Pontifici pro transitu nostro ad Sedem Apostolicam, transmisistis, *quae nobis pergratae sunt: agimusque vobis, pro singulari in nos observantia vestra, gratias, et memores esse volumus.* Verum licet proposuissemus omnino hoc autumno Romam proficisci; cum tamen quondam recolendae memoriae D. Leonora Diva Augusta contoralis nostra his diebus vita functa sit, et Boëmius Ducatui

catui nostro Austriae gravi bello immineat, aliaque ardua nobis incumbant negotia, transitum nostrum differre cogimur. Cum iter tamen post haec arripere instituerimus, praemature vos certiores reddere curabimus. Datum in Nova Civitate VI. die mensis Octobris, anno Domini MCDLXVII. Imperii nostri XVI. Regnorum nostrorum, Romani XXVIII. Hungariae etc. vero IX.

Pag. 22.

Diploma Caroli V. Imperatoris diei 22. Martii 1523. super omnimoda libertate Civitatis et Dominii Florentini, ex Originali in Archivio Palatii. N. VII.

CAROLVS, divina favente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae etc. Recognoscimus ac notum facimus universis, quod cum magnifici Raphael Francisci de Hieronymis, et Joannes Bardi de Corsis, Oratores Excelsi Dominii Florentini, nobis exhibuerint quamdam cedulam illustris Don Joannis Emanuel, tunc Oratoris et Consiliarii nostri, datam in oppido Marini, die 23. mensis Septembris, anni nuper fluxi 1522. in qua inseritur tenor cujusdam cedulae nostrae, datae in Villa nostra Bruxellarum, die 3. mensis Septembris, anni 1520. una etiam cum insertione cujusdam capituli, comprehensi in eo foedere, quod cum beatissimo felic. record. Leone X. Pontifice Maximo percusseramus, ad opus ipsius Dominii Florentini faciendis: in qua quidem cedula ipse illustris Don Joannes Emanuel, Nostro nomine, et in vim mandati eidem concessi, fatendo, et recognoscendo omnia, ibidem inserta, vera fuisse, et esse, ea omnia approbavit, et ratificavit, simulque promisit, quod nos hujusmodi cedulam et capitulum, ac omnia in eis contenta, per nostras patentes literas, debitis subscriptione et sigillo munitas, cum praemissorum insertione, infra sex menses inde sequentes, ratificabimus et approbabimus, et, quatenus opus sit, de novo concedemus, ipsamque ratificationem, et approbationem, ac novam concessionem, absque alia penitus impensa, ad manus Illustrissimi ac Reverendissimi Cardinalis de Medicis, seu Oratoris ad id commissi, realiter consignaret, et prout latius in dicta cedula ipsius illustris Don Joannis Emanuel continetur, cujus tenor sequitur in haec verba.

Don Joannes Emanuel, Orator Sacratissimae Caesareae et Catholicae Majestatis etc. Notum sit omnibus et singulis, praesentes literas inspecturis, quod cum nobis per magnificum Galeottum de Medicis, Oratorem excelsi Dominii Florentini, expositum fuerit, quod olim eadem Caesarea Majestas confecit cedulam, cujus tenor talis esse asseritur.

Carolus, divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Hispaniarum, utriusque Siciliae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tiroli &c. *Notum sit universis, quod cum Beatitudo Pontificis pro accumulatis in nos beneficiis a nobis petierit, ut privilegia omnia, per Imperatores et Imperium Reipublicae Florentinae concessa, confirmaremus, simulque Civitatem, Terras, Castra, Oppida, et Loca quaecumque, quae eadem Respublica de praesenti possidet, et in quibus Imperium seu Imperator jus aliquod forsan haberet, aut habere praetenderet, gratis in forma valida, infra quatuor menses ab electione nostra, liberaremus.* Nosque Beatitudini Suae et in hac, et in quacumque re libenti animo morem gerere cupiamus, et nihil negare eorum, quae concedere possumus: cumque in praesenti plurimis justissimisque de causis Beatitudini Suae cognitis, pro fide dignitateque nostra impediti, satisfacere sibi non possimus; nihilominus meliori modo, quo possumus, Beatitudinem suam cautam facere velimus; *harum nostrarum tenore, in fide et verbo regio, pollicemur, cum coronati fuerimus, et quamprimum poterimus, dummodo non ultra sex menses a fine primae diaetae, post dictam coronationem, Nos antedictae Beatitudinis suae petitioni gratis, pro summa nostra in eam observantia, plenè satisfacturos:* in cujus rei testimonium, has manu nostra propria subscripsimus, consuetumque sigillum nostrum apponi jussimus. Datum in Villa Bruxellarum die 3. mensis Septembris. IO EL REY. Mandato Caesaris *Della Mota.*

Quod postea inter praefatam Sanctitatem, et eamdem Caesaream Majestatem, inter alia capitula et conventa, factum fuit unum capitulum, quod formaliter habet:

Item promittit idem Caesar, in eadem se protectione habiturum omnes Confoederatos et Colligatos cum Sanctissimo Domino nostro, et specialiter Florentinos, cum omni Statu et rebus, quas in praesens possident. Et quia, etc. fuimus per eumdem Oratorem, pro parte ejusdem Dominii Florentini, requisiti et rogati, ut cum praefata asserta Caesaris Cedula nos conformes redderemus, contentaque in jam dicto capitulo, quia per manus nostras, et interventum nostrum factum fuit, confiteri et recognoscere vellemus: Nostramque ad haec plenam et sufficientem facultatem habentes, et habere asserentes, prout constat per patentes literas sub data Bruxellis die 15. Mensis Junii 1520. quas praefatus Orator inspexit: *praedicta omnia et singula in dicta asserta cedula et praescripto capitulo, prout supra contenta, vera fuisse et esse fatemur, et recognoscimus per praesentes, reddentes nos cum jam dicta cedula conformes:* et nihilominus probe considerantes, quod Illustrissimus Dominus Julius Romanus Cardinalis de Medicis nuncupatus, jam dictae felicis recordationis Leonis X. secundum carnem frater patruelis, idemque Dominium Florentinum, eorumdem Leonis et Reverendissimi Cardinalis potissimum contemplatione, in omnimoda devotione cum ipsa eadem Caesarea Majestate, etiam post dicti Leonis obitum, permanserunt, nec non pro eadem Caesarea Majestate majora etiam, quam antea eodem Leone vivente, fecerunt, sicque conveniре, ac justum esse arbitrantes: *ex auctoritate dictae nostrae facultatis praemissa, et singula in eisdem suprascriptis cedula et capitulo contenta, per easdem praesentes approbamus et ratificamus: et ulterius, etiam pariter pro majori praedictorum omnium securitate, etiam sub fide equitis ac nobilis viri, eisdem Reverend. Cardinali, et excelso Dominio Florentino, ejusque Dominii Oratori praedicto, praesenti, et pro eodem excelso Dominio acceptanti, promittimus, quod supradicta Caesarea Majestas praefatam assertam cedulam et capitulum jam dictum, ac omnia. singula, ut praefertur in eis et praesentibus nostris, contenta, tamquam si cum ipsis Reverend. Cardinali, et excelso Dominio praecise confecta fuissent et essent, per suas speciales literas*, suis subscriptione et sigillo, ac aliis in his necessariis, solitis, et consuctis munitas, absque aliquo quovis onere, seu penitus solutione per idem Dominium, seu alios pro eo facienda, cum totali, ac de verbo ad verbum earumdem praesentium insertione, infra sex menses, ab hodie inchoandos, *ratificabit, et approbabit, eaque omnia, quatenus opus sit, de novo concedet:* ac ejusmodi ratificationem, et approbationem, ac novam concessionem ad manus ejusdem Reverend. Cardinalis, seu dicti Oratoris, absque aliqua penitus impensa, ut praefertur, realiter consignabimus. Sicque nos obligamus: pollicentes etiam ob amorem, quem erga universam illam Rempublicam gerimus, utpote Majestati Caesaris hactenus fidelissimam, nos eidem excelso Dominio apud Sanctissimum Dominum nostrum omnem favorem, omneque auxilium in omnibus suis necessitatibus, quae non illicitae videbuntur, pro viribus praestituros, ab eademque Sanctitate, qua decet humilitate procuraturos, ut Sanctitas Sua eidem excelso Dominio unam decimam benigne concedat, ut pecunia, a Felic. Recordat. jam dicto Leone X. eidem excelso Dominio debita, exolvi possit. In quorum fidem et testimonium praesentes fieri jussimus, nostrae propriae manus subscriptione, nostrique sigilli impressione munitas. Datum in oppido Marini die 23. mensis Septembris 1522. Signatum *Johan Emanuel*, et subscripsit. *Urbanus.*

Nos igitur Imperator praed. recolentes, quantum debebamus ipsi Sanctissimo Felic. Record. Leoni X. Pontifici Maximo, *quantumque debeamus ipsi Florentinae Civitati, atque Illustrissimo ac Reverendissimo Cardinali de Medicis, ejusdem secundum carnem patrueli, quorum contemplatione dictum Dominium Florentinum in nostra devotione permansit et permanet: scientes etiam omne promissum, debitum: ac cupientes ipsum illustrem Don Joannem Emanuel ab omni onere dictae obligationis, per eum factae ut decet, relevare, praedicta omnia, superius inserta. laudamus, ratificamus, et approbamus, et quatenus expediat, de novo, prout jacent, de verbo ad verbum concedimus et elargimur: eaque omnia, in singulis suis punctis et articulis, nos observaturos promittimus,* harum testimonio literarum manu nostra signatarum, nostrique sigilli munitione roboratarum. Datum in oppido nostro Vallisoleti die 22. mensis Martii anno Domini 1523. Regnorum nostrorum, Romani quarto, aliorum vero omnium octavo.

CAROLVS.

Ad Pedes. Confirmatio cujusdam cedulae et capituli Foederis, cum Leone Pontifice initi, in favorem Dominii Florentini.

A tergo Ad Mandatum Sereniss. Domini Imperat. proprium.

Ph. Nicola.

Pag. 25.

Capitulum Foederis Barchinonenſis inter Pontificem Clementem VII. et Imperatorem Carolum V. die 29. Junii 1529. ex Archivio ſecreto. N. IIX.

ITem cum ſpoliatis omnia jura faveant, nec minus favorabilis cenſeatur ſpoliatorum reſtitutio, quam poſſidentium manutentio et defenſio, eorum potiſſime, qui etſi naturali et corporali poſſeſſione privati, animo tamen civilem poſſeſſionem retinent: cujus vigore etiam naturalem de facto occupatam, de facto etiam licite recuperant, cum id potius defenſionis naturam obtineat. Memor Caeſarea Majeſtas, quod Illuſtris Suae Sanctitatis familia, haeredes ſcilicet quondam Magnifici Laurentii de Medicis, a clar. mem. Maximiliano Caeſare, ac Ferdinando Rege Catholico, ejus Avis paterno atque materno, ſuperioribus annis in patriam Florentinam reſtituti multis eiſdem correſponderunt officiis, in omnibusque ſe gratiſſimos exhibuerunt? dolenſque, inter ceteras Sanctitatis Suae calamitates, hoc quoque eveniſſe, ut quidam Sanctitatis ſuae hoſtes, qui eadem jam antea conſilia agitabant, illa occaſione arrepta, velut deſperatis Suae Sanctitatis rebus in familiam de Medicis inſurrexerint, atque ejus civitatis ſtatum mutaverint; cupiatque Caeſarea Majeſtas pro filiali erga Sanctitatem Suam obſervantia et amore, etiam contemplatione matrimonii tractati et concluſi inter Illuſtrem Dominum Alexandrum de Medicis, Suae Sanctitatis Nepotem, Ducem Pennae, et illuſtrem Dominam Margharitam de Auſtria ipſius Caeſaris filiam naturalem, aliiſque juſtis mota reſpectibus, *dictam ſuam familiam*, annuente altiſſimo, *in patriam et priſtinum ſtatum reſtituere; ideo actum extitit, et conventum, quod aut ipſius Caeſareae Majeſtatis copiis, aut viribus, aut eo meliori modo, quo id fieri poterit*, cum primum id commode exequi et ad effectum deduci queat, *dicti haeredes quondam Magnifici Laurentii, Nepotes ſcilicet ac familia Sanctitatis Suae de Medicis, reducantur in patriam ac Civitatem Florentiam integreque reſtituantur non ſolum ad bona occupata ſed in eundemmet ſtatum, dignitatem, atque amplitudinem et ad gubernium et regimen ejuſdem Civitatis et Reipublicae, in quibus erant antequam proxime ejicerentur:* quod quidem ſua Majeſtas efficet, non magis privati Suae Sanctitatis commodi ac dignitatis cauſa, quam ad evitandum ejus urbis periculum, necnon ob publicam Italiae quietem, quam cum ſua Majeſtas ſummopere cupiat tranquillam ac pacatam reddere; eodemque animo eſſe videat Suam Sanctitatem; *facilius id confici poſſe exiſtimat, Reipublicae Florentinae ſtatu ad arbitrium Suae Sanctitatis conſtituto.*

Pag. 25.

Capitula quaedam conventionis inter Clementem VII. et Filibertum de Chalon Principem Arauſienſem, ab eiſque ſubſcripta, ſicut a Reverendiſſimo Domino Thoma Pratenſi, et Domino Mayo Legatis Caeſareis Romae 12. Auguſti 1529. ex Archivio ſecreto. N. IX.

L'Illuſtriſſimo Sig. Principe promette a Sua Santità marciar coll' eſercito all' impreſa di Firenze, con ogni diligenza, e continuarla per tutto Settembre, *per rimetter la Caſa di ſua Santità nel grado e governo, che era prima in quella Città, ſecondo il capitolato tra la Santità Sua e la Maeſtà Ceſarea.*

Il Sig. Principe conſegnerà di mano in mano a Sua Santità quelle Terre, che ſi piglieranno nel Dominio Fiorentino, con queſto, che li Governatori e altri, che ſua Santità vi metterà al governo, abbiano ad obbedire al Sig. Principe in tutto quello, che per beneſizio dell' impreſa ſarà loro comandato.

Che reſtituita la Caſa de' Medici in Firenze, Sua Santità farà, che i Signori Fiorentini paghino, per le ſpeſe e intereſſi e danni, dati da eſſi Fiorentini, che ſono li medeſimi contenuti nella Capitolazione non Ceſare, ſcudi 150. mila: tra' quali eſſo Sig. Principe promette accettar in conto quelli, che Sua Santità ſi troverà avere sborſati, o a Sua Eccellenza, o agli altri agenti di Sua Maeſtà Ceſarea; per inſino alla ſomma di ſcudi 80. mila: de' quali 150. mila Sua Santità promette far

pagar, subito rientrata in Casa, 40. mila, e fra un mese 30. mila, e quel più, che restassero d' avere della somma de' 150. mila, per non aver Sua Santità sborsata l' intera somma delli 80. mila.

E se per caso (il che non si dubita) non si rimettesse la detta Casa de' Medici in Firenze, in qualunque modo, e per causa di questa impresa, o la Maestà Cesarea, o Sua Eccellenza avesse danari da' Fiorentini; Sua Eccellenza promette, se la somma sarà di 150. mila, restituire a Sua Beatitudine li 80. mila: se la somma sarà minore, restituir quel meno, pro rata, secondochè loro riceveranno.

Sua Santità, restituita in Casa, farà, che li Signori Fiorentini entreranno in Lega con Sua Maestà: e si obbligheranno, per difensione delli Stati comuni in Italia, contribuire alla rata solita, nel modo, che quella Città si trova aver contribuito nelle altre Leghe, dal tempo della S. Mem. di Papa Leone in quà.

Che la Santità Sua promette, che nè Lei, nè i Signori Fiorentini, ritornata Lei in Casa, non s' intrometteranno in innovar cos' alcuna contro' Senesi: e loro *versa vice* promettono, *che' Senesi non innoveranno cos' alcuna nè contro la Chiesa, nè contro lo Stato, che Sua Santità constituirà in Firenze.* Ita est ✝

F. Princ. de Chalon.
Thom. de Prato.
Mayus.

Pag. 27.

N. X. *Instrumentum Conventionis et Compromissi in Carolum V. celebratum die 12. Augusti 1530. ex generali Archivio Florentino.*

IN Dei nomine Amen. Anno Domini nostri JEsu Christi ab ejus salutifera Incarnatione 1530. Indictione tertia, die vero decima secunda mensis Augusti, Actum in felicissimis castris Caesareis apud inclitam Civitatem Florentiae, et in Populo S. Margharitae de Montici, et in Domo Residentiae infrascripti Magnifici Domini Bartholomaei de Valoribus, Generalis Commissarii Sanctissimi Domini nostri Clementis PP. VII. Praesentibus Illustrissimis Dominis Comite Petro Maria de Rubeis, Alexandro de Vitellis, Pyrrho de . . . Joanne Baptista Sabello, Martio de Columna, Joanne Andrea de Castaldis, omnibus Coronellis, nec non Magnifico Domino Federico de Uries, Magistro castrorum exercitus Caesarei, testibus.

Conventio ac Compromissum in Carolum salva libertate.

Cum inclita Civitas Florentina fere XI. mensium obsidione a Caesareo exercitu attrita, et multis jacturis et calamitatibus afflicta, eo redacta esset, ut non procul ab ultimo excidio abesse videretur: quod ab omni homine Christiano, nedum Italo, deplorari debuisset, nisi illi fuisset opportune subventum, id procurante in primis Sanctissimo Domino nostro Clemente VII. Pontifice Maximo, ipsius Civitatis Patre amantissimo, et gloriosissima Majestate Caesaris, quae suis Ducibus Civitatis salutem summa cum pietate semper commendavit et mandavit: adnitentibus etiam ad id bonis civibus, praesertim Magnificis Dominis Bardo Joannis de Altovitis, Jacobo Hieronymi de Morellis, Laurentio Philippi de Strozzis, et Petro Francisco Folchi de Portinaris, Oratoribus, a dicta Civitate destinatis ad Illustrissimum Dominum Don Ferrandum de Gonzaga, Capitaneum Generalem velitum, et Gubernatorem felicissimi exercitus Caesarei, ac Magnificum Bartholomaeum de Valoribus, Sanctissimi Domini nostri in dicto exercitu Commissarium Generalem: *et propterea cum pro salute et conservatione dictae Civitatis, inter praefatos Illustrissimum Dominum Don Ferrandum, ac Bartholomaeum de Valoribus Magnificum, et praefatos Magnificos Dominos Oratores proximis diebus facta, et seu tractata fuerit quaedam concordia et capitulatio, cujus copia transmissa fuit ad Magnificos Dominos Florentinos, et per dictos Magnificos Dominos, et eorum Collegia, et Consilium octuaginta virorum benigne acceptata et ratificata sub die XI. praesentis mensis*, prout apparet per Rogatum manu Domini Silvestri de Aldobrandinis, et Ser Nicolai de Nellis, Notariorum et Cancellariorum dictorum

Magni-

Magnificorum Dominorum: et cum cum pro perfectione tanti ac tam sanctissimi et saluberrimi et optati operis, per eosdem Magnificos Dominos et Collegia et Consilium octuaginta virorum dicta eadem die factum et datum fuerit plenissimum mandatum praelibatis et infrascriptis Magnificis Dominis Oratoribus, prout apparet per Instrumentum, rogatum manu praefatorum Cancellariorum sub dicta die, inferius in fine praesentis instrumenti insertum et registratum de verbo ad verbum: et propterea pro praedictorum explicatione praefatus Illustrissimus Dominus Don Ferrandus Gonzaga, Capitaneus et Gubernator ut supra, ac Illustris Dominus Joachinus de Ria, Dominus de Balanson, Nobilis et Camerarius secretus Caesar. Majestatis, et quilibet eorum insimul in solidum, et de per se, vigore cujusvis eorum, et cujuslibet eorum, et respective autoritatis ac potestatis, ac etiam vice et nomine ipsius Majest. Caesar. ut infra: nec non praefatus Magnificus Bartholomaeus de Valoribus, Commissarius Generalis Sanctissimi Domini nostri Clementis, ad infrascripta omnia peragenda facultatem et potestatem habens, ut constat per literas in forma Brevis Suae Sanctitatis, in fine praesentis Instrumenti insertas: ac etiam vice et nomine praefati Sanctissimi Domini Nostri Papae, et praefati omnes respective, singula singulis congrue ac rite referendo, pro praedictis praecise et cum effectu de rato rati habitione promiserunt, ut infra alias etc. ex parte una: ae etiam praefati Magnifici Dominus Bardus Joannis de Altovitis, Jacobus olim Hieronymi de Morellis, Laurentius olim Philippi de Strozzis, et Petrus Franciscus Folchi de Portinaris, cives Florentini et Oratores Civitatis, Populi, et Reipublicae Florentinae, vigore autoritatis, in dicto et infrascripto Mandato eisdem attributae ex parte altera, *solemniter, benigne, et concorditer, solemnibus stipulationibus et promissionibus hinc inde intervenientibus, devenerunt ad infrascriptas capitulationem, conventionem, concordiam, promissiones, obligationes, et alia, ut infra videlicet.*

In primis: Che la forma del Governo abbia da ordinarsi e stabilirsi dalla Maestà Cesarea, fra quattro mesi prossimi avvenire, intendendosi sempre, che sia conservata la libertà. 1.

Item: Che si abbiano a liberare subito gli sostenuti dentro Firenze, per causa di sospizione, o d' amicizia e servitù con nostro Signore o sua Magnifica Casa de' Medici: e così tutti li fuorusciti e banditi per tal causa sieno subito, ipso facto, restituiti alla Patria e beni loro: e gli altri sostenuti per le medesime cause dentro Pisa, Volterra, o altri Luoghi del Dominio, abbiano da esser liberati, dopo che sarà levato l' esercito, ed uscito del Dominio. 2.

Item: Perchè la Città si trova molto povera e affaticata per la presente guerra, e anco è necessario pagare detto esercito, la Città sia obbligata pagare fino alla somma di ottantamila Ducati: da quaranta in cinquantamila contanti di presente: e il resto, fino alla detta somma d' ottantamila, in tante promesse buone e valide, sì nella Città, come di fuora: da pagare detto restante fra sei mesi prossimi avvenire, acciò sopra dette promesse si possa trovare il contante da pagare, e levare l esercito. 3.

Item: Che la prefata Città sia obbligata dare e consegnare in potere dell' Illustrissimo Signore Don Ferrando, fra due giorni, dopo fatto il presente concordato, quelle persone di qualsivoglia condizione e stato, cittadine della Citta, che saranno nominate dal prefato Signore, per sicurtà dell' osservazione del presente accordo, fino al numero di cinquanta, e di quel manco, che piacesse alla Santità di Nostro Signore: quali persone abbiano da restare in potere di esso Signore, finchè sieno adempite da essa Città tutte le presenti convenzioni e promissioni. E che le Città di Pisa, e Volterra, con le Rocche e Fortezze loro, e così la Fortezza di Livorno, e altre Terre, e Fortalizze, che sono all' obbedienza del presente Governo, saranno ridotte in potere del Governo, che sarà stabilito da Sua Maestà. 4.

Item: Oltre questo, il Signor Malatesta Baglione, e il Signore Stefano Colonna, abbiano da renunziare in mano delli Magistrati di Firenze il giuramento, per loro in qualsivoglia modo e tempo prestato, di servire esse Città: e promettere, e dare la fede, e giurare in mano di Monf. Balanson Gentiluomo della Camera della Maestà Cesarea, di restare con quelle Genti, che a loro Signorie parranno convenienti, nella città, fino, che sieno adempite, e osservate tutte le presenti convenzioni 5.

zioni e promissioni, sino nel termine de' quattro Mesi soprascritti: e ogni volta che sarà loro comandato in nome di sua Maestà di uscire con le genti della città, che abbino a uscire, fatto però prima la dichiarazione, della qual si contiene nel primo Capitolo; volendo però esso Sig. Stefano, esser libero d' andarsi di detta Città, qual volta fosse necessitato per alcuna sua occorrenza, resterà il Signor Malatesta in obbligo fino all' ultima determinazione.

6. Item: Che qualunque Cittadino Fiorentino, di che grado o condizione si sia, volendo, possa andare ad abitare a Roma, o in qualsivoglia luogo, liberamente, e senza esser molestato in conto alcuno, nè in roba, nè in persona.

7. *Item: Che tutto il Dominio e Terre, acquistate dal felicissimo esercito, abbiano a ritornare in potere della Città di Firenze.*

8. Item: Che l' esercito, pagato che sia, subito abbia da levarsi, e marciar fuori del Dominio: e dal canto di nostro Signore e di Sua Maestà si farà ogni provvisione possibile di pagare detto esercito: e quando detto esercito non si possa levare fra otto dì, si promette dare vettovaglia alla Città, dopo datigli gli ostaggi, e seguito il detto giuramento.

9. Item: Che dal canto di nostro Signore, e suoi amici, parenti, e servitori, si scorderanno, e perdoneranno, e rimetteranno tutte le ingiurie, ricevute da qualsivoglia cittadino: e useranno con loro, come buoni cittadini e fratelli, e Sua Santità mostrerà, come sempre ha fatto, ogni affezione, pietà, e clemenza verso la patria sua, e cittadini di quella: e, per sicurtà dell' una e dell' altra parte, prometterà Sua Santità e Sua Maestà l' osservanza del soprascritto: e obbligasi il Sig. Illustrissimo Don Ferrando Gonzaga, Generale Capitano de i Cavalli leggieri, e Governatore al presente dell' esercito felicissimo sopra Firenze, in suo proprio e privato nome, di fare e curare non effetto, che Sua Maestà ratificherà nel tempo di due mesi prossimi il presente Capitolato: e il Magnifico Bartolommeo Valori, Commissario Generale di nostro Signore, altresì in suo nome proprio e privato, promette fare e curare non effetto, che Sua Santità, fra il tempo di due mesi, ratificherà quanto detto Commissario ha promesso in nome di Sua Santità.

10. Item: Promettono l' Illustrissimo Sig. Don Ferrando, a nome di Sua Maestà, e il Magnifico Bartolommeo Valori, a nome di Sua Santità, che a tutti i Sudditi di essa Maestà e Santità si farà general remissione di tutte le pene, che fossero incorsi per causa di disobbedienza del essere stati al servizio della Città di Firenze nella presente guerra: e così si farà la restituzione de i beni, e della patria loro, quando però essi sudditi e vassalli non abbiano persa la patria e beni per altro delitto, che di detta disobbedienza.

Quae omnia, ut supra, capitulata, promissa, et conventa praefatae partes dictis modis et nominibus, solemnibus stipulationibus et promissionibus, hinc inde intervenientibus, promiserunt observantiam: et propterea dictis modis et nominibus respective obligaverunt se ipsos, dictis modis et nominibus, et eorum et cujuslibet eorum dictis modis et nominibus, respective haeredes et bona omnia, praesentia et futura: et dicti Magnifici Oratores dictam Civitatem Florentiae, et homines, et personas ejusdem, quas obligare possunt, vel eis licet, et etiam pro majori robore, et efficacia, et perpetua firmitate praefatorum omnium, et observatione omnium praedictorum, scripturis corporaliter manu tactis, solemniter juraverunt observationem omnium praedictorum in plenissima forma rogantes, etc.

Ego Martinus quondam Dominici Francisci Agrippa, Clericus et Civis Mediolanensis, publicus, Apostolica et Imperiali ac Curiae Archiepiscopalis Mediolanensis, autoritatibus, Not. de praemisso instrumento, ut supra in praesenti Carta, et tribus aliis praecedentibus scripto et notato manu mea propria, rogatus fui, simul cum Domino Bernardo de Gamberellis, Notario, ut ipse asseruit, Florentino: et in fidem praemissorum me subscripsi, quorum omnium aliam et similem fidem habeo penes me manu dicti Notarii.

Pag. 29.

Provisio facta a Vexillifero Justitiae, et Balia Populi Florentini die 17. Februarii 1530. ab Inc. ex Archivio Palatii. N. XI.

Die 17. Februarii per Baliam.

Considerando il Magnifico Gonfaloniere di Giustizia, e gli altri prestantissimi Cittadini della presente Balìa, quanta laude e onore resulti ad una bene instituta Repubblica, il non essere immemori, ma ricordevoli de i benefizj ricevuti: et quanto etiam piaccia all' Onnipotente Dio riconoscerli: e riducendosi a memoria, quali e quanti siano stati conferiti alla nostra Città dall' Illustrissima e Nobilissima Casa de' Medici: e quante dignità, onori, preeminenze, privilegj, indulti, e grazie, così temporali, come spirituali, sieno state date e concesse dalli sapientissimi, et eccellentissimi progenitori di quella; et praesertim, dalla Felic. Mem. di Papa Leone X. e di continuo sieno conferiti e conferiscansi dalla Santità di N. S. Papa Clemente VII. Padre e Protettore di questa sua diletta patria: e per animarlo più, se più è possibile, alla conservazione e esaltazione di essa nostra Città: e mostrare a Sua Beatitudine, con ogni affetto e divozione, il perfetto animo e desiderio di fare cosa grata a quella, e a sua Illustrissima Casa: e non si offerendo adesso maggior occasione in dimostrarlo: e conoscendo l' eccellenti virtù, vita, e costumi dell' Illustrissimo Signor Duca Alessandro, figlio della buona mem. dell' Illustrissimo Signor Duca Lorenzo de' Medici, avuto sopra di ciò maturo consiglio e perfetto esamine, col parere etiam di molti altri savj e amorevoli cittadini di essa città, giudicano esser molto conveniente, utile, e laudabile, e a benefizio e esaltazione della nostra Città, nell' infrascritto modo provvedere, e così etiam per loro moto proprio, et ex certa scientia, ed in ogni miglior modo provvidero e ordinarono.

Che per virtù della presente Provvisione, *il prefato Illustrissimo Signor Duca Alessandro de' Medici ex nunc, prout ex tunc, et e converso, e tempo per tempo, s' intenda essere, e sia aggregato, eletto, e deputato nel numero della presente Balia: e similmente s' intenda essere e sia di tutti gli Offizj, Magistrati, Dignità, e preeminenze dell' eccelsa Repubblica di questa Città, Dominio, e Distretto di qualunque sorte* e qualità degli Offizj e Magistrati sieno, etiam del Magistrato degli Eccelsi Signori: e possa il predetto Signor Duca tutti i detti Magistrati e Offizj esercitare, e in essi attualmente intervenire, non ostante qualunque inabilità, che allegar si potesse, etiam di minore età, o divieto, o qualunque altra cosa, che repugnasse: e possa esercitarsi in tutti i sopraddetti Offizj e Magistrati colla medesima autorità, che se ordinariamente, e tempo per tempo fosse detto, e deputato, accettato, giurato, e preso detti Offizj e Magistrati, e ciascuno di essi. *I quali in un tempo medesimo tutti e ciascuno di essi possa esercitare, etiam come Proposto, ad ogni suo beneplacito*; non ostante i predetti divieti, o concorso di alcuno de i sopradetti Offizj e Magistrati, liberamente, come a Sua Signoria parrà e piacerà: e in quelli rendere il suffragio e voto, come se fusse ordinariamente eletto e ammesso a principio di detto Offizio e Magistrato. Dichiarando, che quando Sua Eccellenza intervenisse, e si ragunasse in detti Offizj e Magistrati, il voto suo si debba connumerare e augumentare al numero delle fave ovvero suffragio, e si debba vincere secondo gli ordini soliti, computando detto suo voto. E quando non potesse, o non volessi intervenire nè ragunarsi ne i sopraddetti Offizj e Magistrati, si osservi nell' ordine de' partiti, come insino a questo di è provvisto e ordinato. *E tutte le sopradette cose provvedono, e riordinano per detto loro moto proprio, e per l' esaltazione dell nostra Città, et ex certa scientia, e non ostante qualunque Legge, e Deliberazione, o Statuto, che in contrario disponesse: alle quali s' intenda esser spezialmente derogato pro hac vice ex certa scientia, et de plenitudine potestatis*, etiam che di quelli si avesse a fare in spezie o individuo alcuna menzione: e così di detta *plenitudine potestatis* derogarono, cassarono, annullarono, derogano, cassano, ed annullano in omni meliori modo, con la grazia e laude dell' Onnipotente Dio. Non obstantibus, etc.

Pag. 33.

N.XII. *Autoritas data a Senatu Florentino Reverendissimo Domino Cardinali Cibo die 5. mensis Januarii 1536. per Quadragintaocto in Palatio de Medicis : ex Archivio Palatii.*

IL *Signor Luogotenente dell' Eccellenza del Signor Duca, e gli suoi Magnifici Consiglieri, insieme ragunati con gli Magnifici Cittadini del Consiglio de' Quarantotto.* Intesa l' improvvisa morte di Sua Eccellenza; e *conosciuto* per questo *la Città restare senza capo del suo Governo:* e volendo a tale inconveniente provvedere, che in questo frangente alla Città non manchi ogni suo necessario provvedimento; confidati nell' integrità, sufficienza, e bontà del Reverendissimo Monsig. Cardinale Cibo, e del sincero amore, quale ha sempre portato al presente Stato e Governo; per loro solenne Partito, ottenuto e vinto con tutte le fave nere, *deliberarono dare, e deliberando dettero a Sua Signoria Reverendiss. tutta quella autorità, potestà, e balià, che per qualunque Legge e Provvisioni passate, è stata altra volta data all' Eccellenza del prefato Signor Duca, in tutto e per tutto: e così per il presente Partito e Deliberazione, in luogo del Signor Duca posero il prefato Monsig. Reverendiss. Cibo, insino a tanto che altrimenti non sarà provveduto.*

Pag. 34.

N. XIII. *Catalogus Autorum Italorum, aliarumque Nationum, et Germanorum, qui Dominii Florentini libertatem, etiam post Principatus constitutionem, asseruerunt.*

AEGIDIVS BOSSIVS Mediolanensis in tract. de Crim. laesae Majest. n. 58.

SFORZIA ODDVS Perusinus in Conf. 38. n. 35.

LVDOVICVS RVDOLFINVS de Sabloneta in tract. de Origin. dignit. Duc. Italiae n. 77.

PETRVS CABALLVS Pontremulensis Resolut. Crimin. cas. 99. n. 7.

PETRVS ANT. PETRA Placentinus de Potest. Princip. cap. 3. quaest. 4. n. 23. et sequent.

JOANNES BAPTISTA ASINIVS Florent. in tract. de Execution. §. 1. cap. 4. n. 2. et sequent.

JOANNES BERTACCHINVS Firmanus in suo Repertor. in verbo *Civitas* n. 130.

PETRVS RIDOLFINVS Cortonensis in Praxi judiciar. parte 2. cap. 1. n. 70. et 71.

MAGDALENVS ROMANVS de Numer. Test. in Testam. requis. parte 1. cap. 32. n. 7.

CACHERANVS, Magnus Sabaudiae Cancellarius, in Conf. 2. n. 35. vol. 1.

PETRVS CALEFATVS Pisanus de Equestri dignitate n. 140. in fine.

MASTRILLVS Siculus de Magistrat. lib. 1. cap. 7. n. 4. 5. et 6.

RVSTICVS Aquilanus in Comment. ad l. *Cum avus* de condition. et demonstr. lib. 5. cap. 11. n. 52.

CAJETAN. AGETA in not. Vnivers. Aerar. cap. 29. n. 2.

JO. BAPTISTA LVPVS a S. Geminiano de Illegitim. lib. 1. Comm. 3. §. 3. n. 13.

COHELLIVS Vrbevetanus in Comm. ad Bullam Boni regim. cap. 10. n. 70. et sequens.

LEGATVS Venetus apud HONORIVM in Thesaur. Polit. in relat. Florentiae, ejusque Dominii pag. 83. et 84.

JO. DE LAET de Princip. Italiae cap. 6. et 13.

EMANVEL GONZALEZ Hispanus in Comment. ad cap. fin. de judic. in verbo *Potestas.*

FRAN-

FRANCISCVS STYPMAN Polonus de Jur. Marit. et Naut. cap. 6. n. 128.
ANONYMVS in Comment. de Principat. Ital. tit. 6. de Magno Etruriae Ducatu.
ARTVRVS DVCK Anglus de Autor. Jur. Civil. Rom. lib. 2. cap. 3. n. 7.
CLVVERIVS Prussianus in Introduct. ad Geograph. lib. 3. cap. 37.
ABRAHAM GOLNITZ in Compend. Geograph. parte 2. pag. 35.
GEORGIVS FOVRNIER in Geograph. Orb. notit. lib. 9. cap. 17.
DOMINICVS ARVMEVS Disput. Feudal. disput. 3. Thes. 13.
THEODORVS REINKING de Regim. secul. Imper. lib. 1. clas. 2. cap. 9. n. 57.
HERMANNVS HERMES in suo tract. Fascicul. Jur. publ. cap. 4. de veteri amplitud. Imper. n. 33.
ANTONIVS HERINGIVS Oldemburgensis de Fidejussor. cap. 7. n. 572.
ARNOLDVS REIGER Brandemburgensis in Thesaur. Jur. verbo *Civitas* n. 50. *Civitas non recognoscens superiorem potest infamem suum subditum restituere: talis est Civitas Florentinorum.*
GEORGIVS HORNIVS in suo tract. Orbis Politicus 51. *Magnus Ducatus Florentiae tres Respublicas, olim liberas, complectitur, Florentinam, Pisanam, et Senensem. Respectu Florentini et Pisani, Magnus Dux est absolutus Dominus, nulli subjectus. Cetera, velut Senas et Elvam, a Rege Hispaniarum: Burgum S. Sepulcri, a Papa: Filatteram et alia in agro Lunensi, ab Imperatore fiduciario jure possidet.*
JO. BLEAV idem dicit in sua Geograph. vol. 8. in descriptione Etruriae.
MARTINVS MAGERVS a Schonberg. Austriae in suo celebri tractatu de Advoc. Armat. cap. 6. n. 128. distinguit inter Civitates Imperiales, Civitates liberas Imperii, et illas, quae sunt omnino independentes ab Imperio: et inter has ponit Civitates Etruriae. *Usu autem nostri temporis Civitates liberae trifariam accipiuntur: primo pro iis, quae omni ex parte liberae, et nulli prorsus subjectae sunt, nullum omnino superiorem, ne quidem Caesarem, recognoscentes: et de hujusmodi Civitatibus, superiorem nesciis, idem judicatur, quod de Principe, quia in suo Statu persimiles existunt Imperatori; quod cum hodie quaelibet Civitas Italiae, et praesertim Tusciae, Dominum non recognoscat, et merum Imperium habeat in suo populo quantum Imperator in toto Imperio.*
JO. SPRENGERIVS Vittemberghensis in Fragment. Jur. publ. cap. 2. de Orig. et Constit. Imper. tom. 1. enumerans Potentatus, in quibus modo divisus est mundus, et tractans de Italia, affirmat Tusciam esse liberam, ad distinctionem aliorum Principum Feudatariorum Imperii: *Magnus Dux Florentiae, qui Magni Ducis titulum ex populi concessione gerit, Tusciam libere, Senam vero a Rege Neapolitanorum habet, quam et illius Feudum agnoscit. Dux Mantuae, Dux Pedemontis, Dux Mutinae Vasalli Imperatoris sunt.*
CHRISTOPHORVS BESOLDVS Tubingensis in sua Disputatione Juridic. Politic. de Appellatione cap. 2. §. 6. postquam mentionem fecit de Regibus et Principibus qui non recognoscunt superiorem, loquens de populis, jam Imperio subjectis, et nunc absolute liberis, ut Helvetiorum Respublica, ita fatur: *Sic Rempublicam Florentinam Rodulpho Imperatori, qui praestigiis territus ad instantiam Pontificis in Italiam intrare noluit, exolutis ducatorum sex millibus, se in libertatem vindicasse, indeque Civitatem Florentiam in suo Dominio, nec Imperatorem, nec alium cognoscere Dominum: in tantum, ut neque Imperator in illa Civitate (in qua utpote nullam jurisdictionem habet) rite legitimare queat, post multos idem asserentes Ant. Gabr. lib. 5. tit. de acquir. rerum Dom. concl. fin. Knichen Velitat. Apolog. n. 44. usque ad 62.*
NICOLAVS MILLERRS in Additionibus ad RVMEL. super Bullam auream Caroli IV. p. 3. disp. 2. n. 4. *Formale autem Majestatis in eo praecipue consistit, ut universim imperet; nihil enim differt Magnus Dux Etruriae a Galliarum et Hispaniarum Rege, absolutissime respectu summae potestatis, nisi ratione minoris ambitus, sicut scapha a navi: licet ejus absoluta potestas Rerumpublicarum, Florentinae et Pisanae, satis angusta, et perpaucis aliis locis, quae absolute possidere contra Imperii jura praetendit, vix duorum dierum itineris longitudine terminetur. Senensem enim Rempublicam, aliaque loca, Feudi titulo ab Hispaniarum Rege ac Summo Pontifice possidet: nec dubito, quin idem jus habeat, quod alii liberi Reges in suis regnis obtinent, tituloque Majestatis uti possit, si*

velit; cum jam olim rescriptum fuerit, liberos Reges idem jus habere, quod Romanorum Princeps sibi asserit.

JO GULIELMUS ITTERUS in tract. de Feudis Imperii cap. 6. §. 21. *Ad Magnum Etruriae Ducem nunc ordo nos deduxit, ubi vitandae confusioni limites regionum prius partiri convenit. Dispertitur autem Dominium Magni Ducis in antiquum et novum: quorum illud Florentiam et Pisas, hoc Senas et alia noviter acquisita complectitur. Et vetus quidem Dominium, quod vocant, Germanici Imperii ditioni pridem subjectum non pauci sibi persuasum habent. Sprengerius certe, Florentiam et Pisas Magnum Etruriae Ducem citra recognitionem superioris regere pronunciat in Fonte Jur. publ. cap. 22. pag. 222. in quam sententiam quoque haud invitus concedere videtur Mylerius ad Rumelinum Aur. Bull part. 3. diss. 2. thes. 4. Besoldus quoque, in Florentino Ducatu plenum Regnum, quale plerumque libertatem armis suppressam subsequitur, esse judicavit lib. 1. Synops. Polit. cap. 4. num. 13. notatur eapropter Hyppiugio lib. 2. Meth. Jur. Publ. cap. 5. §. 14. Cumque non omni plane fundamento, aut certe colore isthaec sententia destitui videatur, factum hinc est, ut ex eruditis multos passim patronos eadem nacta sit. Florentinam enim, splendidissimarum aedium structura superbientem, Italiae Civitatem, pactione cum Rodulpho I. Imperatore inita, una cum aliis tunc temporis sui juris factam esse, complures Jurisconsulti nobis persuadere satagunt, magna serie allegati apud Klock de Contrib. cap. 4. num. 35. et Arturo Duck de Ant. Jur. Civil. Roman. lib. 2. cap. 3. §. 6. et sequent.*

GASPARVS KLOCK de Ærario cap. 17. describens Magnum Ducatum Tusciae: *Dividitur Principatus, vulgo in Dominium vetus et novum, quorum illo Florentina et Pisana Respublica comprehenduntur, hoc Senensis cum aliis acquisitis. Princeps autem Dominia haec utraque diverso jure possidet; nam vetus Dominium absolutum est et liberum, nullique obnoxium, quam libertatem a pluribus Imperatoribus jam olim impetravit. Novum autem magna ex parte in Feudum tenet a Rege Hispaniarum, puta Senensem Rempublicam.* Ipse Autor in tract. de Contrib. cap. 4. n. 30. *Quamvis autem quidam existiment, Rodulphum I. reservasse superioritatem et recognitionem Imperii, Civitatesque libertae sibi comparata, Caesaris dicto se audientes promisisse. Cuspin. in vit. Rodul. I. Gerard. de Roò Annal. Austr. lib. 1. ad an. 1284. et Jovius etiam scribat, Florentinorum lege vetustissima Imperatori jus esse, itidem instituta confirmandi, et inde superioritatem Imperii conservare. Federic. Scot. Respons. 28. n. 107. lib. 6. Attamen quia expressum traditur Fliscum, ut jura Imperii recuperaret, missum, exigendo fidelitatis et obedientiae juramentum Romano Imperio: idque Civitates Tusciae constanter negasse; inde libertatem omnimodam divenditam conjicitur, idque eo magis, quod actus subsequuti id etiam evincant, cum statim alia Reipublicae forma tunc constituta fuerit: et in Principatum perpetuum conversus, Mediceaeque familiae assignatus. Jovius d. lib. 29. Franc. Guicciard. Histor. Ital. lib. 20. quae numquam agnovit Romanum Imperium, quod utique fieri debuisset, si superioritas Rodulpho I. fuisset reservata: facileque Carolus V. qui Florentinos debellavit, et ob ingratitudinem et molitionem contra Imperium coercuit, non refragante contractu per ejus antecessorem inito, potuisset eos Imperio subjicere.*

Pag. 45.

N. XIV.

Verba GERARDI DE ROÒ *Annalium Austriacorum,*

Lib. 4. anno 1496.

LVDOVICVS vero Sfortia, qui Pisanae urbis potiundae spem nondum abjecerat, ne ea Venetorum imperio accederet, modis omnibus impediendum ratus, Maximiliano autor erat, uti Pisas ipse proficisceretur, seque legitimum ejus controversiae cognitorem judicemque interponeret, quod ea Civitas sub veteri jure Imperii teneretur. Ita Florentinos, Caesaris autoritate ac sociorum viribus territos, et a Gallorum amicitia discessuros, neque illius arbitrium detrectaturos putabat: et si Pisana res illi permitteretur, facile se, et pecunia et gratia, qua apud Caesarem polleret, voti sui compotem fore sperabat. Maximilianus, comprobato ejus consilio, Legatos Florentiam mittit, qui dicant *in Italiam venisse Caesarem, uti pacata illa, expeditionem in Christiani nominis hostem totis viribus susciperet. Mone-*

Monere igitur atque hortari, uti, ad communis Patriae tranquillitatem conservandam, relicta Gallorum societate, cum reliquis Italiae Principibus se conjungant: quod si facere nondum animum inducere possint, sui interim officii esse, controversiam ipsorum cum Pisanis *componere: itaque aequum videri*, uti ab armis abstineant, donec ipse utrorumque causam rationesque dijudicasset: idem se Pisanis quoque injunxisse, quos obsequentes fore certo confideret. Florentini, audita legatione, etsi ex Gallia non satis laeta nunciabantur, induci tamen non potuere, uti, ante restitutas sibi Pisas, Caesari *Causae suae arbitrium permitterent;* sed laudata ejus praeclara voluntate, brevi se per Legatos cum eo acturos respondent: *interim vero praesidia et vires comparant. Ne vero aut causae suae diffidere, aut a concordia alieni esse viderentur, utque Caesarem sibi aequiorem redderent*, Legatos Genuam ad eum misere, qui Florentinos, pro singulari in eum observantia, ipsum admonere dicerent: pacis et concordiae, quam in Italia stabilire nitebatur, rationem iniri meliorem non posse, quam uti Pisae ipsis restituerentur, quae alioquin causam dare aliis poterant ad Italiae Imperium aspirandi: neque aequum esse, uti quibus sua essent erepta, antequam ea restituerentur, *cujusquam arbitrio causam committant.* Pisis restitutis, totius causae cognitionem ipsi, cujus aequitati fiderent, *permissuros*, neque communem Italorum inter se concordiam impedituros. Ad haec cum post longam deliberationem nihil a Caesare responderetur, Legati a suis revocati, abiere. *Ita non tam Caesar ipse, quam Ludovicus sua spe frustratus est. Neque enim Florentinos crediderat Maximiliani arbitrium non suscepturos etc.*

Pag. 46.

Conventio inter Imperatorem Maximilianum I. et Oratores Florentinos, inita Veronae die XXIV. Octobris 1509. ex Archivio secreto. N. XV.

IN Dei nomine Amen. Anno Domini nostri JEsu Christi ab ejus salutifera Incarnatione, millesimo quingentesimo nono, Indictione decima tertia, et die vigesima quarta mensis Octobris, tempore Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini Julii divina Providentia Papae II.

Actum in Civitate Veronae, et in Palatio Serenissimi Principis, divina favente clementia, electi Romanorum Imperatoris, in camera suae habitationis, praesentibus testibus, ad infrascripta omnia et singula vocatis, habitis, et rogatis etc.

Reverendissimis Dominis Matthaeo Lango de Augusta, Episcopo Gurgensi et Serenissimi Caesaris Magno Consiliario, Domino Petro Bonomio de Triesti, Episcopo Trigestino et Caesareo Consiliario, Baldassarre Volfo de Norimbergo, Caesareae Majestatis Camerario, et Pigello de Portinariis, Cive Florentino, et praefatae Majestatis Caesareae Secretario.

Pateat omnibus, quod cum sit, quod Serenissimus Princeps et DD. Maximilianus, divina favente clementia, electus Romanorum Imperator, ingressus nuper in Italiam *eo animo, ut quamprimum Suae Majestati videretur, Coronam Augustalem acciperet, et contra Infideles, pro Christiana Religione amplianda, bellum gereret, certam summam pecuniarum expetiverit, pro his commodius faciendis, a Magnifica Communitate Florentiae etc.* ad infrascriptam compositionem, concordiam et conventionem deventum fuit.

Nam dicta sua Majestas, primo et ante omnia, *et omni meliori modo, proprio motu et de pleuitudine suae potestatis, ad omnem cautelam et quemlibet juris effectum, confirmavit et confirmat Rempublicam Florentinam in praesenti sua libertate, et Dominio, et possessione quarumcumque Civitatum, Castrorum, Villarum, et locorum*, et in omnibus et singulis et quibuscumque praeeminentiis, jurisdictionibus, juribus, honoribus, et titulis suis, quibus ipsa Respublica Florentina quomodolibet utitur de praesenti, vel quae ad ipsam quomodolibet pertinent et expectant: promittens etiam in hujusmodi suo absensu, stantia, et reditu, quam ullo unquam tempore per se, vel ejus Principes, Barones, Capitaneos, Stipendiarios, Theutonicos vel Italicos, aut alterius cujuscumque nationis, modo aliquo, directe vel indirecte, aut sub aliquo quaesito colore, ex quacumque causa, quae dici vel excogitari posset, non molestare, perturba-

turbare vel inquietare, de jure vel de facto, nec modo aliquo, directe vel indirecte, aut sub aliquo quaesito colore perturbari, molestari, vel inquietari facere, vel permittere *praesentem libertatem, regimen, et statum dictae Reipublicae Florentinae*, vel ejus Magistratus, Jurisdictiones, Terras, Castra, Villas, Loca, per dictam Rempublicam Florentinam quomodolibet tenta, vel possessa, gabellas, pedagia, redditus, introitus, proventus, vel alia quaecumque jura, ad dictam Rempublicam Florentinam de praesenti quomodolibet pertinentes vel expectantes, pertinentia vel expectantia, vel per ipsam quomodolibet de praesenti tenta et possessa. Sed praedicta omnia et singula permittere, dimittere, et relaxare in eo esse, statu et gradu, in quo et prout praedicta invenerit, et repererit, et tenentur, et possidentur per dictam Rempublicam Florentinam.

Pag. 49.

N. XVI. *Capitula Foederis et Confoederationis, initae inter Christianissimum Carolum VIII. Regem Francorum, et excelsam Rempublicam Florentinam, die vigesima quinta Novembris 1494. ex Archivio Conservatorum Dominii Florentini.*

DUodecimo promittit dicta Regia Majestas, per se et successores suos, Florentinam Urbem et ejus populum ejusque Dominium in perpetuum protegere, defendere et ampliare, omniumque amicorum ejus amicum et benevolum, inimicorumque inimicum esse: et quod in quibuscumque ligis, foederibus, cum quibuscumque Regibus, Principibus, Comitibus: Marchionibus, Communitatibus, et Rebuspublicis fiendis, eam et eum comprehendet, ac etiam cum inimicis suis quibuscumque, et maxime cum Januensibus, quorum praefata Regia Majestas supremus est Dominus, pacem perpetuam procurare, prout supra dictum est, ut tandem possit dicta Florentina Respublica, omnesque ejus subditi et ejus populus tute et libere navigare, et eorum merces et bona, quo voluerint per terram et mare ire, devehi et navigare facere: et è converso dicti Domini Florentini promittunt habere amicos dictae Regiae Majestatis pro amicis, et inimicos pro inimicis, et non facere aliquam ligam, seu confoederationem cum inimicis dictae Regiae Majestatis.

Tertiodecimo promittit dicta Regia Majestas, tamquam verus Pastor, Conservator, Tutor, ac Defensor, et Protector, et perpetuus Patriae nostrae Pater, concedere, et ex nunc concedit omnibus Florentinis et eorum subditis, tam praesentibus quam futuris, plenum, liberum, et perpetuum salvum conductum, ita quod libere possint, nunc et in futurum, in quibuscumque ejus Regiae Majestatis Regnis, Ducatibus, Civitatibus, Villis, Castris, Oppidis, Marchionatibus, et Principatibus, tam acquisitis quam acquirendis, tute et libere, semel et pluries, ire et redire, cum eorum mercibus et mercantiis, et rebus quibuscumque, et pannis sericeis et aureis, et mercari et mercari facere, eorumque nomina debitorum, tam praesentia, quam futura exigere, resque et merces eorum, cujuscumque speciei, materiei, et quantitatis existant, et quae ad praesens tam indicto Regno Neapolitano, quam alibi existunt, vel quae in futurum existent, portare et exportare, et portari et exportari facere, tam per terram, quam per mare. Ita quod Florentinorum Navigia Gallica esse intelligantur: et, tamquam veri et naturales Galli, utantur, et frui possint quibuscumque Gallorum immunitatibus et privilegiis, prout hactenus consueverunt: et possint etiam in quocumque loco, tam acquisito quam acquirendo per dictam Suam Regiam Majestatem, contractus emptionum, venditionum, permutationum, emphytheoticarios, et quascumque obligationes facere et contrahere; bona immobilia, castraque et jurisdictionem acquirere, vendereque et donare possint: ac etiam in praedictis omnibus locis testari, codicillari, et causa mortis et inter vivos donare, pro pro eorum libito voluntatis in perpetuum; ita quod in bonis, ibidem existentibus, succedatur eis secundum formam et dispositionem Statutorum Florentinorum: et quoad effectum promittit etiam dicta Regia Majestas Literas Patentes naturalitatis dare pro libito voluntatis petentis: et possit ubique etiam Beneficia et Dignitates Ecclesia-

clesiasticas quascumque obtinere, ac si vere et naturales Galli et Franchi nati essent, et quos inter Gallos suos ex nunc dicta Majestas connumerat, et connumerari vult de plenitudine suae Serenissimae potestatis Dominicae: promittens etiam dicta Regia Majestas, si ipsis Dominis Florentinis videbitur et placebit, omnia praedicta et infrascripta in omnibus Parlamentorum Curiis confirmari facere, ac publice banniri per omnia Suae Majestatis Regna et loca quaecumque, et Literas Patentes cuique facere, ad hoc maxime, ut notum sit omnibus suis subditis, de plenitudine suae potestatis. Florentinos et eorum subditos vere naturales Gallos effectos esse etc.

Pag. 49.

Articuli sacri Foederis, percussi 22. Maii 1526. inter Clem. VII. Regem Galliarum, Dominium Venetum, Rempublicam Florentiae, et Ducem Mediolani, contra Carolum V. Ex Recueil des Traitez de Paix, de Treve, de Neutralité etc. Amsterdam 1700. tom. 2. pag. 129. et seqq. N. XVII.

PAriter conventum est, ut ab omnibus dictis Confoederatis assumatur, atque ex nunc assumpta esse intelligatur protectio et defensio Illustrissimae Domus et familiae Medicaeorum, videlicet Haeredum ac Successorum Sanctissimi Domini Nostri Papae, illamque fovere ac manutenere debeant in illo statu, primatu, ac dignitate, in excelsa Florentinorum Republica, quam ex antiquo obtinuit, ac de praesenti obtinet. Pollicetur pariter Sanctissimus idem Dominus noster ceteris confoederatis, excelsam ipsam Florentinorum Rempublicam nullo pacto quidquam acturam gesturamve adversus sanctissimum hoc Foedus, sive in eo contenta, neque inserviendo inimicis suis quovis colore de pecuniis, aut aliis quibuscumque favoribus: imo fore eam Beatitudini Suae semper obedientissimam, uti obsequentissimos ac devotissimos decet filios: quod quidem ipsa Florentinorum Respublica suis Patentibus Literis ratificabit.

Sequitur Articulus secretus de Florentinis.

NAm, cum, ut praedictum est, excelsa Florentinorum Respublica approbatura sit, et Sanctissimus Dominus Noster Papa ejus nomine promiserit, consentaneum quoque videtur, eamdem inter Confoederatos amplecti, et favoribus ita prosequi, ac si pro uno ex contrahentibus in hoc tractatu nominaretur. *Quod cum non posset fieri sine maximo suorum Civium damno, et eorum negociationes et bona, quae diversis in locis, Serenissimo Imperatori electo subjectis, semper habent; idcirco promiserunt Confoederati omnes ipsam Florentinorum Rempublicam, ejusque Statum, se ita semper defensuros a quibuscumque eam offendere volentibus, ac si ex principalibus essent confoederatis: in quarum rerum testimonium praefati Procuratores et Nuntii hanc praesentem chartam propriis manibus subscripserunt, suisque sigillis obsignaverunt.*

Pag. 57.

Verba MODESTINI PISTORII, JOANNETTI, et HERMANNI HERMES. N. XVIII.

MODESTINVS PISTOR. Conf. 51. ad fin. volum 1.

QVemadmodum ergo Roma, licet Senatus Populusque Romanus lege regia omne imperium in Imperatorem transtulerit, nihilominus appellatur caput Orbis etiam ab ipsis Imperatoribus, in quos Imperium translatum fuit, et honorem veterem Reipublicae Romanae Imperatores Romani retinuere; *ita et Respublica Florentina, licet Senatus Populusque Florentinus per Capitula quaedam Pacis, inita cum Capitaneo Caesareo anno 1531. transtulerit Imperium in familiam de Medicis, quae antiquitus in ea Re-*

ea Republica fuit primaria; per hoc tamen honorem suum et praeeminentiam quam inter alios Principes Italiae habuit ab antiquo, amisisse non videtur, sed potius eumdem honorem eamdemque praeeminentiam una cum Imperio in Principem transtulisse. Cum enim honor accessorium quoddam sit imperii et dignitatis, merito is, qui potitur imperio Reipublicae Florentinae, honore quoque ejusdem gaudere debet.

Sed etsi dicamus, Rempublicam Florentinam libertatem suam pristinam amisisse, respectu sui Principis, cujus Imperio se subjecit; tamen inde non videtur sequi, cum praerogativas et praeeminentias suas in honore, quas prae aliis Ducibus Italiae habuit, amisisse, *cum ceteris Principibus, ex tali mutatione regiminis et formae Reipublicae Florentinae, nihil accesserit, ac juribus et potentiae ipsius Reipublicae erga exteros nihil decesserit.*

JOANNETTVS in Conf. edito an. 1562.

Neque verum est, quod, translato in Principem unum omni Reipublicae Florentinae regimine, sit ob id Respublica illa abolita. Posteaquam enim omne Imperium, omnisque administratio Romanae Reipublicae ad Imperatorem unum, multo plenius, quam ad Principem Florentinum translata fuit; remansisse nihilominus Rempublicam Romanam, plane constat. Id quod in libro de Romano Imperio ad Ferdinandum I. significantius aliquot ante annos ostendi.

Considerandum praeterea est, quod illa summi honoris et libertatis, quorum pridem a me facta est mentio, maxima privilegia, quibus Respublica Florentina olim fuit et est decorata, sunt privilegia, non personalia, sed realia, hoc est Reipublicae Florentinae cohaerentia. Ideoque succedentibus in Republica in perpetuum debentur, ac pereunt numquam.

HERMANNVS HERMES in Fascic. Juris Publici cap. 27. num. 38.

Manere autem forma substantialis et status Reipublicae dignitatem conservare censetur, etsi Respublica, libera olim, se alicui Civi regendam committat, aut contra Monarchia in Aristocratiam vel Democratiam transeat, ut in Republica Romana, in statum mixtum, et deinde rursus in statum Monarchicum, nunc in Monarchiam cum Aristocratia temperatam conversa. Huc facit celebris illa Florentini et Ferrariensium Ducum de Praecedentia concertatio multorum Jurisconsultorum scriptis nota. Sic Caroli V. Decreto Florentiae Duci Praecedentia adjudicata fuit ante Ducem Estensem seu Ferrariensem; licet Ferrarienses Jurisconsulti dicerent, Ducem Florentinum veterem Reipublicae Florentinae Praecedentiam sibi vindicare non posse, utpote qui novissimus Dux esset, et quod vetus Respublica Florentina non amplius staret. *Vicit tamen Florentinus; quia subrogatum sapit naturam subrogati, cum qualitatibus et privilegiis suis, licet subrogatum aliam assumpserit naturam etc.*

Pag. 60.

N. XIX. *Instrumentum Protestationis, factae a Serenissimo Francisco Magno Etruriae Duce die 13. Februarii 1575. Indictione IV. ex Archivio Generali Florentino.*

IN Dei nomine Amen. Anno Dominicae Incarnationis 1575. Indictione quarta, et die tertiadecima mensis Februarii, Gregorio XIII. Summo Pontifice, et Serenissimo Francisco Medici Magno Etruriae Duce Dominante. Actum Florentiae in Palatio praefati Serenissimi Magni Ducis, sito in Populo S. Romuli: praesentibus ibidem, Illustrissimo Domino Bartholomaeo olim D. Joannis Baptistae de Concinis de Comitibus Pennae, et Magnifico D. Antonio D. Laurentii de Servidis Equite S. Stefani, Testibus, ad infrascripta omnia et singula vocatis, habitis, et rogatis.

Cunctis pateat evidenter, qualiter in mei et Testium praemissorum praesentia, personaliter constitutus Serenissimus Dominus noster, Dominus Franciscus Medices Magnus Dux Etruriae II. et animadvertens, alias Felicis Recordationis Serenissimum Cosmum Medicem Progenitorem suum, tunc Florentiae Senarumque Ducem, ex causis

causis, tunc plene cognitis, per Sanctissimae Memoriae Pium V. Pontificem declaratum et creatum fuisse Magnum Etruriae Ducem, decretis et adscriptis ejus dignitatis insignibus, et ut ex Bulla, Romae data sub sexto Kal. Septemb. 1569. latius videre est: *In cujus executionem idem Magnus Dux, quamdiu vixit, talem se nuncupavit, verboque et scriptis ac re ipsa gessit, et a quamplurimis Principibus, in Italia et extra, pro Etruriae Magno Duce tractatus et nuncupatus fuit.* Cumque eo e vivis sublato, innumeris meritis praefati Serenissimi Magni Etruriae Ducis Francisci suadentibus, ejusque praestantia, et multiplicatis obsequiis inducta Caesarea Majestas Maximiliani II. Romanorum Imperatoris electi, praefatum Serenissimum Franciscum Magnum Ducem II. praedictum tamquam de novo dicto titulo decoraverit et donaverit, ut publico Diplomate, manu Caesarea obsignato, et aureo sigillo munito, constat. Tenore cujus inspecto, praefatus Serenissimus Franciscus I. Magnus Dux Etruriae censendus videretur: quod quidem ab eis . . . . . . aliquatenus discrepat cum autoritate Apostolica Secundus habendus sit: *et ita demum ex dicta Caesarea concessione titulum praedictum adipisci constituerit, ut nec in minimo priori concessioni officiat aut deroget, ejusque effectum laedat, sed in ejus augumentum cedat*; ideo omni meliori modo, quo id fieri potuerit et debuerit, et possit et debeat, Caesaream concessionem acceptaverit, et acceptare intendat, eaque uti et potiri decreverit et decernat; ad majorem tamen mentis suae declarationem, et voluntatis animique sui testimonium, vobis DD. Testibus, et uti probis viris et honestis personis, et mihi Notario rogato, ad perpetuam rei gestae et gerendae memoriam, ad praedictum et omnem alium ei magis proficum finem et effectum, dixit et declaravit, *et protestatus est, se dictum Caesareum privilegium, omniaque et singula in eo contenta, in augumentum et corroborationem confirmationemque Apostolicae concessionis, et in ea expressorum, acceptasse et acceptare, et vanae potius dubitationis tollendae causa*; quam quod Pontificiae gratiae autoritas, possessioque actus et tractatus, quibus idem Felicis Recordationis ejus Genitor, eoque defuncto ipse Magnus Dux II. usus est, et in futurum utetur, in aliquo irritentur, verum nec in minimo laedantur: volens et intendens a nullo jure et possessione, sibi quomodolibet quaesita, recedere, vel ei praejudicium inferre; sed eorum effectum augere, et jura juribus suis addere, et quia aliter et alias, nisi animo et mente praemissis, ad praedictam acceptationem per eum deventum nullatenus foret. De et super quibus omnibus mandavit, per me Notarium infrascriptum hoc publicum confici instrumentum, unum vel plura.

Ego Angelus Favilla, olim Laurentii Angeli filius, Civis et Notarius publicus Florentinus, de praedictis rogatus.

Pag. 61.

Decretum Maximiliani II. 18. Aug. 1576. concedentis Legatis Magni Etruriae Ducis locum in Cappella Caesarea immediate post Venetos: ex Archivio secreto. N. XX.

SACRA Caesarea Majestas, Dominus noster elementissimus, benigne cognovit ea, quae Majestati Suae Magni Etruriae Ducis Celsitudo, per Oratorem suum, ratione loci, ejus Celsitudini in Capella Caesarea dandi, exponi voluit, adeoque idem Orator instanter petiit. Cum igitur Caesarea Majestas meminerit privilegii, Celsitudini suae nuper concessi, et suam erga Celsitudinem ejus propensissimam voluntatem quavis occasione comprobare cupiat, nec huic honesto ipsius desiderio deesse voluit. *Ideoque Celsitudini locum in Cappella Sua Caesarea immediate post Venetos dare et concedere statuit: prout vigore praesentis Caesarei Decreti realiter dat et concedit.* Salvis tamen Sacri Romani Imperii Principum Electorum, et inclitae Domus Austriacae praerogativis et juribus: Id quod Sua Caesarea Majestas praefati Magni Ducis Oratori clementer significari jussit. Actum sub impressione Majestatis Suae sigilli Caesarei Ratisponae, die decimaoctava Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.

V. JO. BAP. WRBIET. (Locus Signi)
PRBETABVRGER.

T Diplo-

Diploma Augustissimi Imperatoris Leopoldi, 5. Februarii 1691. concedentis regios honores et praerogativos Magnis Etruriae Ducibus, ejusque Ministris: ex Archivio secreto.

LEOPOLDUS, divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator.

AD futuram rei memoriam. Agnoscimus et notum facimus, tenore praesentium, universis. Quemadmodum ab Imperatoriae Majestatis culmine, quo nullum inter mortales sublimius, velut a prima origine omnes honores et dignitates solide sortiuntur principia et incrementa; ita Imperialem decet solicitudinem et circumspectam benignitatem in iis distribuendis eorum praeprimis justam rationem habere, quorum inter ceteros generis antiquitas et claritudo, nec non praecipua in Rempublicam Christianam et Sacrum Romanum Imperium merita emicant: illosque non tantum in antiquis eorum juribus et praerogativis fovere; sed novis etiam juris et gratiae muneribus propensius honorare, ipsos condignis magnificando favoribus, et gratis beneficiis extollendo.

Hinc est, quod attendentes ad antiquissimam Illustrissimamque inclitae Domus Etruriae originem, et non interruptam tot clarissimorum ex ea Progenitorum Magnorum Ducum, tam bello quam pace de Republica Christiana, Sacro Romano Imperio, et Augusta Domo Nostra gloriose promeritorum, seriem, quorum hic gesta toti orbi cognita enarrare, prolixum nimis et supervacaneum foret. Considerantes praeterea praedictae Domus Etruriae frequentissimas cum Austriaca Nostra et aliis praecipuis familiis Regiis affinitates, conspicuas opes, potentiam: et Provinciarum avitarum amplitudinem: justo denique pretio aestimantes sincerae devotionis affectum, ac multiplicia amicitiae obsequia, quibus Modernus Serenissimus Magnus Dux Etruriae Cosmus III. erga nos et Sacrum Romanum Imperium laudabiliter inclaruit, benigne adducti sumus, ut praestantissimam hanc familiam peculiari aliqua demonstratione, et Cesareae nostrae propensionis symbolo, quod eidem perpetuo honori et ornamento sit, concordandum suscceperimus. Motu quippe proprio, ex certa scientia, animo deliberato, sano et maturo accedente consilio, et de Caesareae potestatis plenitudine, praedicto Serenissimo Cosmo III. Magno Etruriae Duci, non solum quidquid a divis praedecessoribus nostris Maximiliano II. et Rudolpho II. circa tractamentum Legatorum per Decreta, sub diebus decima octava Aug. an. 1576. quae hic habeantur pro insertis et expressis, Serenissimae Domui Etruriae in Aula Caesarea concessum, et usu introductum est, plenissime confirmavimus; verum etiam praedictum Serenissimum Cosmum III. Magnum Ducem Etruriae hoc singulari favore et praerogativa auximus, ornavimus, et munerati sumus, prout per praesentes plenissime confirmamus, augemus, ornamus, et muneramur, *ut quandoquidem capitibus Regiis eorumdemque Ministris, tam in nostra quam in alienis Aulis, praecipuos quosdam honores exhiberi faciamus, eosdem ipsos honores suae dilectioni, ejusdemque in regimine successoribus legitimis, et eorumdem Ministris in Aula nostra, et alibi per nostros Ministros, tribui in posterum velimus.* Decernentes, ac hoc Caesareo edicto firmiter statuentes, ut supradictus *Serenissimus Magnus Dux*, quo primum tempore id suae dilectioni incipere opportunum visum fuerit, *et ejus in regimine legitimi successores, necnon eorum Ministri, non tantum in Aula nostra, sed ubique etiam locorum apud Ministros nostros respective, iisdem honoribus, praerogativis, aut praeeminentiis potiri, frui, gaudere debeant, quibus Regia Capita et eorum Ministri ipsis in locis potiri, frui, et gaudere solent: aut in futurum possent,* salvo tamen semper cujuscumque praecedentiae jure, uti par est. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri Caesarei appensione munitarum, quae dabantur in Civitate nostra Viennae die 5. mens. Febr. an. 1691. Regnorum nostrorum, Romani trigesimo tertio, Hungar. trigesimo sexto, Boemiae vero trigesimo quinto.

LEOPOLDUS
V. Leopoldus Guglielmus
Comes in Kinigseggs.

(Locus sigilli)

Ad Mand. S. Caes. mentis pro
Luxo Delberg m. propria.

Pag.

Pag. 63.

Notula Feudorum Imperialium, a Magno Etruriae Duce possessorum: eorumque taxae, ad S. R. Cels. transmissa a Mareschalco Caraffa anno 1691. N. XXI.

Feudo di Lussolo	fuochi num.	120.	- - -	360.
Feudo di Ricò, e sue Ville	f. num.	50.	- - -	150.
Feudo d'Arbiano	f. num.	70.	- - -	210.
Feudo di Fivizzano	f. num.	500.	- - -	1500.
Feudo di Caprigliola	f. num.	100.	- - -	300.
Feudo di Fornoli	f. num.	50.	- - -	150.
Feudo di Castiglione	f. num.	40.	- - -	120.
Feudo di Bagnone	f. num.	100.	- - -	300.
Feudo di Filattiera	f. num.	200.	- - -	600.
Feudo di Rocca Sigillina	f. num.	122.	- - -	366.
Feudo di Pontremoli	f. num.	6000.	- - -	18000.
			Devono in tutto	22056.

Pag. 63.

Reverendissimi, Eminentissimi, Serenissimi, Sacri Romani Imperii Electores, et absentium cum summa potestate Legati Illustrissimi, et Excellentissimi. N. XXII.

Serenissimus Magnus Etruriae Dux, Dominus meus clementissimus, jussit, ut majori quaque obsequii significatione Celsitudinibus vestris Electoralibus, vobisque Electorum summa cum potestate Legatis Illustrissimis atque Excellentissimis, praesenti hoc in congressu conjunctis, repraesentarem: inter alios status, quos ipse possidet, frui etiam dominio quorumdam feudorum Imperialium, pro quibus Praedecessores sui Investituras ab Imperatoribus acceperunt, et Sua Regia Celsitudo, nunc feliciter regnans, ab Augustissimis Imperatoribus DD. Leopoldo et Josepho Gloriosae Recordationis accepit, ea semper praestando fidelitatis et obsequii officia, quae pro his Caesareae Majestati et Sacro Romano Imperio deberentur. Nulla extat hominum memoria, antiquos horum feudorum possessores, a quibus, Caesareo accedente consensu, in Etruscam domum derivarunt, usquam contributionibus pro bello Italico Imperii fuisse obnoxios: nec a Majoribus Suae Regiae Celsitudinis post adeptam illorum possessionem, tanto temporis intervallo quidquam petitum est. Investiturae, quas pro his feudis habet, cum alia ipsorum onera exprimant, nullum de hujusmodi servitiis verbum habent: imo cum Serenissimi Magni Duces Etruriae, qui observantia erga Austriacam Domum, Sacrumque Romanum Imperium omnibus anteire studuerunt, Imperatoribus Maximiliano II. et Ferdinando III. pessimis illis Augustissimae Domus et Sac. Rom. Imp. temporibus, et praesertim Turcico bello, copiis, armis, commeatibus, et argento opitulati sunt, mutui titulo omnia haec legitimis instrumentis, quae adhuc exstant ostendique possunt, laudati Caesares se accepisse confessi sunt, paratosque ad quanti Magnorum Etruriae Ducum intererat restituendum declararunt.

 Prae-

Praeterito bello Italico Imperii, eo fere tempore, quo magno rei suae detrimento optime de Augustissima Domo Sacroque Romano Imperio merebatur, et per plures annos contra Turcas ejus hostes triremes navesque cum copiis exponendis in subsidium sacri foederis contulerat, Suae Regiae Celsitudini primum contributiones pro feudis indictae sunt: et quamvis undecim illa feuda, pro quibus Investituram accepit, exigua sint, et pene nullius momenti; tamen incredibiles summae exactae fuerunt, quemadmodum ex epochis, quas vocant de recepto, facile potest demonstrari. Augustissimus Imperator Leopoldus, justitia et aequitate motus, quibus suos actus omnes dirigere consueverat, et Serenissimi Magni Ducis obtestationibus, quibus novum addebant robur officia aliquorum principalium Sacri Rom. Imp. Electorum et Principum, saepius aperte declaravit, se modum ordinemque contributionibus impositurum, et perpessa in bisce exactionibus damna resarturum. Verum vix extincto praeterito bello, novum hoc cruentissimum exarsit, antequam ad bonum jus, optimamque Magni Ducis causam sua Caesarea Majestas oculos posset convertere, certamque feudorum illorum, si quid debuissent, servitiis regulam stabilire. Quapropter Sua Regia Celsitudo cum spe levaminis, toties promissi, et quod jure etiam suo poterat postulare, frustrata est: cum crescente forsan hujus belli necessitate, indictae auctaeque sunt ad arbitrium contributiones, tantaque vis argenti (ut ex authenticis Commissariatus Caesarei in Italia literis constat) militaris executionis comminatione, exacta est, ut proprio aere consumto, intolerabilibus usuris usque adhuc durantibus, Mediolani pecuniam a mercatoribus accipere coacta sit. Contra hujuscemodi gravaminum indictionem exactionemque, nomine Suae Regiae Celsitudinis saepius Mediolani protestatum est, causaque isthaec Augustissimo Imperatori Josepho repraesentata, eique plures ex Imperii Electoribus, et Principibus, Majoresque Austriacae Domui foedere conjunctae Potestates, officia sua addiderunt. Verum non ita diuturnum Regnum sua Caesareae Majestatis, et innumerae gravioresque occupationes, quibus Augustissimi Caesaris animus distrahebatur, effecerunt, quominus hocce jus magni Ducis respicere posset, solita justitiae et aequitatis specimina praebere, atque in Principem Caesareae Majestatis observantissimum propensissimam mentem exercere.

In hoc rerum statu agnoscens Sua Regia Celsitudo frustratam spem omnem, quam per tot annos laudatis in protestationibus, precibus, officiisque amicorum Imperii Principum posuerat: videns expilatum gravatumque aere alieno aerarium: distracta omnia, deficiente argento, commercia: subditos pauperes oppressosque, et gravibus hisce exactionibus impares, pene ob ultimam desperationem tumultuantes; consultissimum sibi judicavit, Serenissimo huic Collegio Electorali aperire, ejusque judicio causam submittere, ad ferenda prompta remedia et auxilia.

Et quamvis, veteri attenta consuetudine, nullum contribuendi onus, hisce feudis impositum, videatur; tamen tanta est Serenissimi Magni Ducis erga Sac. Romanum Imperium observantia, ut si publicae constitutiones, Leges Imperiales, et prudentissimae justaeque Serenissimi hujus Collegii Electoralis jussiones decernant, a Sua Regia Celsitudine, ratione feudorum, pro quibus accipit Investituras, quotam Contributionum, redditibus ipsorum convenientem, tempore belli Italici Imperii, persolvendam esse; parata est praestare quae sunt praestanda, coecaque obedientia Celsitudinum vestrarum Electoralium decreta venerari: sperans feudis, de quibus investitur, non imparem fore, et super omnia certam, stabilemque, nulloque eventu variabilem. Et si (quatenus id justum esse videatur) in stabiliendis servitiis, pro hujusmodi feudis praestandis, appareat, Dominum meum Serenissimum plus justo gravatum fuisse; vestrae erit justitiae sancire, ut quod contra jus et aequum duobus hisce bellis exactum est, digna compensatione exaequetur. Et haec duo sunt, videlicet: damni illati reparatio: et securitas, ne ultra summam, feudis convenientem, in posterum gravetur: quae Sua Regia Celsitudo, ad Electorale judicium confugiens, a justitia et aequitate vestra instantissime petit rogatque, ut quae a Celsitudinibus vestris Electoralibus hac in causa prodibit sententia, in Capitulatione Imperiali in electione stabilienda inseratur.

Accepti

Accepti beneficii redditaeque justitiae recordatio, apud Serenissimum Magnum Etruriae Ducem perpetuo manebit, perpetuumque ipsi obsequii argumentum erit erga Augustissimum Caesarem, Sacrum Romanum Imperium, et praecipue Serenissimum Collegium vestrum Electorale, a quo se nullatenus desertum iri; sed feudorum Imperialium causam, justitia et patrocinio vestro fovendam esse confidit: ne unquam causa Imperii ad Supremum hoc Tribunal delata, derelicta, injudicataque a conspectu vestro prodire videatur.

Serenitatum Vestrarum Electoralium,
et Excellentiarum.

Humillimus et Addictissimus Servus
RINUCCINI.

Explicatio Redditiuum, quos percipit Serenissimus Magnus Etruriae Dux ex Feudis, pro quibus Investituram ab Imperatore accipit.

Undecim Feuda, pro quibus Serenissimus Magnus Etruriae Dux Investituram ab Imperatore accipit, quibusdam oneribus subjecta sunt: a quibusdam vero, ob antiquissima privilegia iis concessa, confirmataque ab immemorabili consuetudine, religiosissime usque adhuc custodita excusantur. Propter allatam causam et Feudorum ipsorum tenuitatem, quae a Familiarum ipsa componentium numero facile discernitur, S. R. Celsitudo exiguos admodum redditus percipit: et cum in confinio reliquorum statuum posita sint, aliquam pecuniae summam pro ipsorum conservatione impendat oportet. Quot familiae, sive, ut vulgo dici solet, focolares repetiantur, qui sint annui redditus, necessariaeque expensae, in annexa huic paginae Tabula exprimuntur.

Numerum focolarium Praetores locorum, ut in laudata Tabula relatum est, anno proxime elapso descripserunt: et redditiuum rationes ex Magistratuum Libris, quorum curae ipsorum regimen et oeconomia demandata est, extracta fuerunt. Et ne in hac re aliquis error irreperet, S. R. Celsitudo mandavit, ut istas redditiuum rationes legitimi Notarii recognoscerent, cum originalibus conferrent, et publicae fidei testimonio vallarent; ita ut si, quemadmodum parati sumus, eas ostendere opus sit, de ipsarum veritate nemo possit dubitare.

Redditus feudorum, quae possidet Serenissimus Magnus Etruriae Dux in agro Lunensi, vulgo Lunigiana, et pro quibus Investituram accipit ab Imperatore.

APUA, Vulgo *Pontremoli*, cum tota jurisdictione, familias seu focolares continet 2250. fuit venditus ab Hispan. Rege Philippo IV. Ferdinando II. Magno Duci.				
Solvit singulis annis Camerae Magni Ducis monetae Florentinae ducatus argenteos,	880.	2.	—	—
Thesaurus, ut dicunt, criminalis cum Referenderia fiscali,	100.	—	—	—
Sal, quod accipit pro usu, aestimatur,	1237.	3.	10.	—
Sal, quod accipit, ut extra Statum S. R. Celsitud. divendat, aestimatur,	1600.	—	—	—
PHILATERRA fam. continet 183. cum omnibus suis pertinentiis et subfeudis, divendita fuit Magno Duci a Marchione Manfredi Malaspina an. 1574.				

Pro

Pro retentione, ut dicunt, trium assium, vulgo *crazie*, pro quolibet ducatu argenteo, solvit Depositariae Generali,	1.	3.	12.	8.
Pro retentione unius assis, vulgo *crazie*, pro quolibet sd. arg. sol. Monti Pietatis,	—	2.	17.	6.
Distributio salis importat lucrum,	25.	1.	6.	1.
ROCCA SIGILLINA, alias VALSUSOLINA, cum omnibus suis pertinentiis, familias continet 98. quae anno 1546. divendita fuit a Comite Noceti Cosmo I. salvis Reip. Florent. juribus.				
Pro retentione, ut supra	—	2.	15.	8.
Pro retentione, ut supra	—	—	18.	8.
Distributio salis lucrum importat,	21.	3.	9.	3.
TERRA RVBRA, famil. continet 53. emit eam Cosmus II. a Marchione Fabritio Malaspina an. 1617.				
Pro retentione, ut supra	—	5.	—	—
Pro retentione, ut supra	—	1.	13.	8.
Distributio salis lucrum importat,	9.	4.	5.	—
LVSOLVM, cum omnibus suis pertinentiis, familias continet 55. cessum fuit Francisco M. Duci a Marchione Hercule Malaspina, simul cum Feudo Ricoi, et possessio ei data dicitur ad instantiam Sacri Imper. an. 1574.				
Pro retentione, ut supra	—	1.	3.	—
Pro retentione, ut supra	—	—	7.	8.
Distributio salis lucrum importat,	12.	4.	11.	1.
RICOVM famil. cont. 65. vide supra.				
Pro retentione, ut supra	—	1.	13.	—
Pro retentione, ut supra	—	—	11.	—
Distributio salis importat lucrum,	16.	2.	7.	11.
LAVSANA, cum suis pertinentiis, familias continet 25. cessit Cosmo I. M. D. transactione inter ipsum et March. Cosmum Malaspinam an. 1566.				
Pro retentione, ut supra	—	—	12.	8.
Pro retentione, ut supra	—	—	4.	2.
Distributio salis lucrum importat,	4.	2.	13.	8.
CAROLAGVM familias continet 32. datum fuit Cosmo I. a Marchionibus Morello et Hippolyto Malaspinis an. 1551.				
Pro retentione, ut supra	—	1.	14.	—
Pro retentione, ut supra	—	—	11.	4.
Distributio salis lucrum importat,	7.	2.	3.	10.
GROPPOLIVM familias continet 130. venditum fuit Magno Duci Francisco a March. Antonio Malaspina an. 1577.				
Nihil contribuit.	—	—	—	—
Summa, salvo,	3918.	6.	1.	10.

EX-

EXPENSAE.

APVA, nunc *Pontremoli*,

Sal usui Pontremuli destinatum, ut e contra, constat sd.	363.	—	—	—
Sed extra Statum extrahendum, ut e contra, constat,	1190.	—	—	—
Commissario et Cancellario pro honorario,	174.	—	—	—
Ministris pro Salario,	20.	—	—	—
Viatori pro Salario,	26.	—	—	—
Expensae Praesidii arcis important,	618.	—	—	—
Summa, salvo,	2391.	—	—	—
Redditus	3918.	6.	1.	10.
Expensae	2391.	—	—	—
Lucrum rest.	1527.	6.	1.	10.

Redditus Comitatus Petiliani et Sorani.

PETILIANVM et SORANVM, acquisitum fuit per M. D. Ferdinandum I. a Jo: Vrsino. Familias continet 894.

Redditus.

Distributio salis lucrum importat sd.	450.	—	—	—

PETILIANVM.

Expensae.

Gubernatori pro honorario sd.	216.	—	—	—
Praetori,	100.	—	—	—
Fiscali Comitatus,	25.	—	—	—
Tabellario pro Salario,	18.	—	—	—
Magistro Postarum Aquaependentis, ut accipiat mittatqae epistolas,	24.	—	—	—
Duobus Viatoribus pro salario,	86.	—	—	—
Praesidium arcis Petiliani,	1014.	—	—	—

SORANVM.

Expensae.

Praesidium Sorani importat,	1344.	—	—	—
Praetori Sorani pro honor.	75.	—	—	—
Cancellario,	25.	—	—	—
Summa, salvo,	2947.	—	—	—
Redditus,	450.	—	—	—
Rem. deb.	2477.	—	—	—

Pag.

Pag. 65.

N. XXIII. *Particula Epistolae, scriptae ad Serenissimum Joannem Willelmum Electorem Palatinum Rheni, ab Excellentissimo Domino Comite Philippo Ludovico a Sintzendorff, Supremo Aulae Caesareae Cancellario, Francofurti, 9. Jan. 1712. ad verbum latine reddita.*

MAJESTAS Sua Caesarea certo sibi persuadet, praefatum Dominum Magnum Ducem, neque ipsum per se dispositurum, neque permissurum disponi de suis Statibus, quos possidet, favore inimicorum Caesareae Majestatis et Serenissimae Domus Austriacae, neque contra ejusdem convenientias: imo potius curaturum, tam in praesens quam in posterum, ut simul utriusque Domus, tum Etruscae tum Austriacae, rationibus consulatur; cui consequenter Caesarea Majestas aliena non erit in casum, a dandis Elect. Celsitudini Serenissimae Electricis optatis Investituris Feudorum, hactenus masculis Domus Etruscae sub diversis titulis concessis etc.